DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

SISTENS

ORTUM ET OCCASUM VITAE HUMANAE MORBOSQUE IN DECURSU OBVENIENTES.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER. OPT. MAX.

Ex Auctoritate Magnifici Rectoris

D. HIERONYMI DAVIDIS GAUBII,
MEDICINÆ DOCTORIS EJUSDEM AC CHEMIÆ ET COLLEGII PRACTICO MEDICI IN ACAD. LUGD. BAT. PROFESSORIS ORDINARII,

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI *Conſenſu,* & *Nobiliſſimæ* FACULTATIS MEDICAE *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS

Summiſque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis rite ac legitime conſequendis,

Eruditorum Examini ſubmittit

PETRUS DOZY, LUGD. BAT.

Ad diem 27. *Januarii* 1747. *Hora locoque ſolitis.*



LUGDUNI BATAVORUM,
Apud QUIRINUM VISSER, 1747.

D E O,

P A T R I A E,

PARENTIBUS,

CONSANGUINEIS,

PRAECEPTORIBUS,

A T Q U E

A M I C I S.

Haſce ſtudiorum ſuorum primitias, ut & ſe ipſum, ea, qua par eſt, reverentia.

D. D. D.

P E T R U S D O Z Y.

A U C T O R.

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

SISTENS

ORTUM ET OCCASUM VITAE HUMANAE MORBOSQUE IN DECURSU OBVENIENTES.

Quicunque corporis humani conſtitutionem, fabricam internam, ineffabilis texturae opus, partium ſimpliciſſimarum teneritudinem, compoſitionem, ſubordinationem, officia, fluidorum in putredinem ſponte vergentium conditionem, motum, mutationes per omnes gradus ab ingeſtis rudibus, heterogeneis ad ſubtiliſſimum fluidum aethereum, homogeneum, ſimpliciſſimum, nutritium; jacturam in deſinenti attritu naſcentem, vid. §. VII. *& ſeqq. ut & mutationem corporis in decurſu vitae, ut neceſſariam, ita inevitabilem, quae omnia levibus cauſis tum externis, tum internis vitiari poſſunt, mecum ſerio contemplatur, profecto cum Hippocrate concludet.* totum hominem ab ipſo ortu morbum eſſe. *effatum hoc conſtantiſſimae veritatis comperimus; dum naſcentium, adoleſcentium, in vigore conſiſtentium, ſeneſcentiumque ſtatum & cauſas, inter quas poſiti ſunt, conſide-*

ramus. Morbi nomine genus tantum ſiſtit venerandus Senex. probe gnarus ſpecies eſſe innumerabiles : in ſolo oculo quidam ducentos, alii longe plures, ſpecie diſtinctos, enumerant, quid de aure magis compoſito organo, aliiſque dicendum. Quamquam omne morborum genus longo agmine hominem circumſilit, ut Juvenalis verbis utar; in univerſum vero animadvertendum, conſtantis eſſe obſervationis, morbos cuilibet aetati eſſe familiares ab infantia ad ſenium, eosque a capite incipere, & per truncum deſcendendo ad calcem permeare, ut natura certos limites ſervet, & ſingulares partes aſſignatae ſint, quae certa aetate morbis magis obnoxiae. ſic V. G. in aetate infantili ab infantia uſque ad conſiſtentem aetatem plurimi morbi capitis, ut natura per caput mucum, lympham ubique evacuet. hinc quanta excretio muci, ſalivae, lacrymarum, quoties inde tumores parotidum, exeſiones, & defaedationes capitis & cutis, aetati infantili familiares! exemplo ſint convulſiones, epilepſia, qui morbus magis familiaris infantili aetati, quam adultiori, unde & ibi levius periculum; ſi vero in adulto, cujus nervi magis calloſi redditi, periculoſius, & quia fœminae prae viris ſyſtema nervoſum habent mobilius, & ſenſilius, hinc etiam convulſionibus frequentius corripiuntur, & minus adeſt periculi, quam in viris, ratio patet, quia ſi morbus non conveniens conditionibus, in quibus homo conſtitutus, denotat cauſam vehementiorem, quae vincere potuit reſiſtentiam cauſarum, inter quas homo verſatur, & hi morbi jam ſatis noti fuere Hippocrati, dum dicit „ morbum „ congruum levioris eſſe periculi, quam ſi non correſponde- „ ret iis conditionibus, in quibus homo verſatur. „ Porro ubi copia ſanguinis magis magiſque increſcit, oriuntur haemorrhagiae, praeſertim narium, & alii morbi juvenili aetati propriores ; ubi homo ad virilem magis aetatem devenit, jam impetus humorum, aut alia quaecunque conſtitutio facit pectus affici, ſi tum excretiones fiunt, iſtae aliquando conamine fatali per pulmones fiunt, inde in haemoptyſin incidunt, & interdum phthiſici moriuntur ; ſic hinc quo-

quoque peripneumoniae, pleuritides &c. naſcuntur a congeſtione ſanguinis in thoracem facta; in ſenio jam thoracem relinquit nocendi morbi genus, & vel in partes abdominis, vel in extremitates corporis magis ſaevire ſolet, nam tum ſub ætate vergente mala hypochondriaca, obſtructiones, icteri, podagra, malum iſchuaticum producuntur, ſic quoque mala circa renes, veſicam, aliique morbi fiunt, & ſi tum natura vult evacuare ſanguinem, non facit amplius per pulmones, quod & Hippocrates modo obſervavit, dum dicit, corpora ſenilia ab haemopote eſſe libera; ſed per haemorrhoides, vel mictus cruentos, quoniam verſus vaſa abdominis tum impetus vergit. Idem verum eſt de aliis noxiis humoribus, quos ad partes abdominis, vel corporis extremitates demandare ſolet natura; an hic concludendum, eſſe ſingularem ſapientiam naturae, atque ut adoleſcit corpus, ut mens prudentior fit, ſic naturam majorem acquirere ſapientiam, adeoque dum in aetate infantili deſipiens fere, jam ubi in ſenium vergit, prudentius faciat evacuationes per partes abdominis, vel humores ad eas partes, quae remotiſſimae a capite demandet. Moralia ejusmodi ratiocinia ad errores facile ducentia nil moror, cum cauſae phyſicae rem ipſam ſiſtentes inveſtigari poſſunt. Diverſitas ea pendere videtur vel a ſingulari conſtitutione partium, vel a ſimul accedente differentia circuli vitalis; & revera ut cuique aetati ſuus peculiaris eſt morbus, ita ſuum proprium ac nativum habet temperamentum, nam aliud Juvenum, aliud Adultorum, aliud Senum. Infantum dici poteſt phlegmaticum, *in quo ſolida laxa, fluida copioſiſſima: Juvenum* ſanguineum, *ubi ſolida juſtum tenorem habent, ſanguis autem admodum ipſis copioſus: Virorum ſive Adultorum* cholericum, *ubi ſolida ſtricta ſunt, humores denſi: Senibus vero* melancholicum, *ſolida ibi magis contracta, humores omnes ſpiſſiores & terreſtres. Nunc quemadmodum Infans, ita homo phlegmaticus eſt pronus in illos morbos, qui a minima quantitate muci, aquae, & laxitate ſolidorum oriuntur: Juvenes, ut plethorici, in haemorrhagias, inde interdum in phthyſin: Viri ut cholerici in acutos bilio-*

ſos

ſos inflammatorios morbos proni ſunt. Senes, ut Melancholici maxime in eos morbos, qui oriuntur a nimia ſpiſſitudine humorum, hinc in obſtructiones maxime proclives.

Morbi jam, qui ex ea conſtitutione, qua una aetas diſcrepat ab alia, & qua una aetas quid diverſum habet ab alia, profluunt, morbi aetatum dicuntur, unde & huc pertinent morbi Infantum, Juvenum, AEtatis conſiſtentis, & Senum. De hiſce nunc morbis, ad quos ſingulae aetates maxime proclives, & cur homo ex neceſſitate ſuae compaginis tamen tandem ad mortem deferatur, & cur tam multi quotidie e medio rapiantur, & pauci ad limen illud ſenile deducantur, Diſſertationis materiam, ut Academiae legi ſatisfiat, eligere placuit. Fateor eam eſſe gravem, ampliſſimam, cauſas plurimas easque intricatisſimas involventem, quam pro dignitate vix unius hominis utut circumſpecti aetas pertractabit, hinc B. L. omnia recta, integra, ſufficientia non promitto, utpote adhuc Juvenis; verum memorem eum velim: in magnis voluiſſe ſatis; *praeterea, ut ea, quae legendo collegi, & ex Doctorum Virorum ore hauſi, huc ſpectantia, grato animo accipiat, etiam atque etiam rogo.*

Diviſi vero hancce Diſſertationem in quatuor Capita, primum exponit conſtitutionem corporis, ejusque incrementum, & morbos, qui in primo iſto vitae ſtadio maxime oriuntur. Alterum agit de ſtatu corporis humani, & morbis, quibus homo tunc magis obnoxius vivit. Tertium de decremento, morbisque tunc magis propriis; & tandem Quartum de morte naturali, ad quam homo ex conſtitutione corporis tandem deducitur.

Procedam igitur ad conſtitutionem, & incrementum corporis humani, & ad morbos, qui in primo vitae ſtadio maxime oriri ſolent.

CAPUT PRIMUM.

De Conſtitutione Corporis, ejusque incremento & Morbis tunc magis propriis.

§. I.

Ut ſemen plantae illibatis viribus germinantibus terrae calorique mandatum excreſcit in plantam fructusque producit. Sic guttula libidinoſa in actu venereo utero materno inducta, munere ſummi Creatoris noſtri in balneo iſto fovetur, nutritur, creſcit, donec peractis novem menſibus non ſine doloribus maternis maturus vivusque inde Infans, fructus inſtar ſtylo ſuo avulſi, in lucem editur.

§. II Qui jam conſiderat conſtitutionem, qua tenellus hic fruitur, ex tam innumeris, tam exiguis, tam teneris conſtantem machinulis, eamque originem ſuam habere ex tantilla molecula §. I. & in tantam molem jam excreviſſe, imo ſic fabrefactam eſſe, ut adhuc in majorem molem excreſcere poſſit, uti conſtans ex ſolidis tenerrimis, flaccidis, mucoſis, facile extenſibilibus, & ex fluidis in quantitate priora immenſe ſuperantibus, ſummam Artificis ſapientiam non ſatis laudare poterit.

§. III. Magnam vero videmus dari inter corpora animalia, ſic & humanum, & inter vegetabilia convenientiam §. 1. unde merito corpus humanum cum vegetabili conferendum §. 1. talis enim convenientia non ſolum in ſtructura partium, ſed etiam in rationibus nutritionem, aliaque perficientibus obtinet; hac tantum cum differentia, quod animal, quantum novimus omne ſua vaſa lactea habeat intus in corpore, cum contra vegetabile vaſa, quibus ſuccum nutritium haurit, gerat in externa ſuperficie, habet hoc vaſa pendula, quaſi intra aliud corpus, quod non pertinet ad naturam vegetabilis, dum contra omne animal vaſa lactea habeat intra aliud corpus hiantia in cavum quoddam, quod conſtituitur partibus ad hoc corpus pertinentibus.

§. IV. Verum enim vero ſi ad principia ſolidarum partium tranſimus, differentia hic nulla obſervatur, ſimilis terra phlogiſton, & aqua ubique occurit, ſi quaeritur de fabrica, adeo late ſe extendit, adeo innumerae hic dantur differentiae, adeo infinitae varietates, ut ex fabrica ſimpliciter, an aliquid ſit animal, vel vegetabile, diſcerni nequeat, nam animal aeque corpus hydraulicum, & aeque ex vaſis conſtat, atque diverſos ſecum gerit humores, ſimilis ergo ubique heterogeneitas, & ſi ad actiones transimus, tanta convenientia, ut vix certo conſtet, an quid vegetabile, an animale: habet animal actiones vitales, naturales, & animales; vita conſiſtit in certo motu humorum per vaſa; idem in vegetabili; habet vaſa in quibus humor debet moveri quamdiu vita adeſt, non inventa quidem hactenus in vegetabilibus pars, quae cordis vicem gerit, ſed an demonſtratum omnia animalia habere cor? Innumerae forte ſpecies animalium nondum cognitae ſunt, ut ideo determinari non poſſit, an omnia animalia habeant cor, vel an non quid cordi analogum, praeſertim cum non videmus in multis animalibus, ubi detur cor, ſed tantam ejus varietatem, ut alia in parva mole contractum habeant, alia per totam corporis longitudinem deductum; huic diſſecta animalia forte pro parte ob hanc rationem in quolibet ſegmento vivunt, quia in quolibet ſegmento pars cordis dari videtur, hinc vita ſuſtentari pro tempore poteſt. Quantum ad actiones naturales, iſtae quoque in vegetabili: uti animal ingerit alimentum, quod trans mutatur in hoc animal, & in hujus ſolida & fluida; uti natura pro hac coctione facienda adhibet ſolida, & fluida, & horum actionem, uti ad hanc accedit ſecretio, & excretio materiae craſſioris, & ſubtilioris, uti animal perſpirat toto corpore, ita haec omnia quoque habet regnum vegetabile, & hic materies aliena adducitur, & in hoc ſingulare vegetabile transmutatur, abit in ejus humores, ſic que in ejus ſolida, fit ſecretio & excretio, perſpirant plurima vegetabilia, de quo Haleſius in ſtaticis. Si tranſimus ad opus generationis, utrobique etiam convenientia, ubique mares, fœminae, imo vegetabile regnum, vel majorem vim habet ſpeciem propagandi, quam deprehenditur, dum animal ſe propagat, ut re rite conſiderata patere videatur, quod in arbore V. G. vix punctnm, e quo non generatione praeciſe talis arbor iterum fieri poſſit, qualis arbor haec erat, quod inſitio, & alia ſatis oſtendunt, habet dein animal ſuas actiones animales, ſed haec diſtinctio non ita hic inſervit nobis, nam quum differentia inter vegetabile, & animale quaeritur, quaeritur ea inter corpora, non in-

inter animas: accedit porro, quod Veteres quoque forte non ita abſone Archeum, ſeu animam vegetativam vegetabilibus aſſignaverint, & cum omnis ſpecies animalium, & vegetabilium ratione motuum, & ſenſuum non cognita, neſcitur, ubi terminus inter regnum vegetabile & animale ſtatuendus; quatenus plantae habentur, quae ſenſitivi quid exprimunt, & habentur animalia, quae ſenſu diceremus carere, ita natura vegetabile quaſi per varios gradus perfectius perfectiuſque fecit, ut accederet magis ad animale regnum, animalitatem per gradus minus minuſve perfectam fecit, ut proprius accedat ad regnum vegetabile. Uti ſic incertum, ubi initium regni animalis, & finis vegetabilis. Verum praeter haec omnia aliquid hiſce duobus corporibus commune obſervatur; nempe vitae decurſus in tres partes diſtributio, variis mutationibus ſingulis aetatibus ſtipata.

§. V. Primi hujus vitae decurſus origo incipere videtur cum tenerrima molliſſimaque recenter nati corporis humani fabrica §. 11. atque pergit per varios incrementi gradus ad tempus, quo homo ad incrementum ſuum corporis deducitur, nempe ad annum vigeſimum quintum; anni vero quibus homo creſcit, perſtat, deſcreſcit, numero quodam inter ſe conveniunt, nam cuique aetati plerumque anni viginti & quinque tribuuntur, & quibus ter ſumptis hominis aetas abſolvi videtur: non puto tamen hoc ſemper in omnibus hominibus locum obtinere, verum magnam varietatem adeſſe pro variis circumſtantiis, & vitae conditionibus, quibus homo expoſitus eſt Prima haec jam aetas ſub ſe comprehendit varias diſtributiones, ut infantiam, pueritiam, pubertatem, adoleſcentiam, juventutem, &c: de quibus poſtea. Cum iſto jam primo vitae humanae decurſu magnam quoque convenientiam habet prima plantae aetas originem ducens, cum tenera porro de ſemine ſurgens planta primo è terra in conſpectum veniat, ſenſim ſenſimque frondeſcens, parteſque explicans, imo, donec, ut cum poeta dico,

Crevit, & umbroſas porrexit in aëra frondes
Arbor diffuſis luxurioſa comis.

& ſic magis magiſque increſcit ad incrementi terminum uſque, quem adepta plus minus conſiſtit pro ratione ſpeciei plus minus longaevae, tum ſenſim decreſcit, ſuccis vitalibus privata contra-

hitur, indureſcit, donec vaſis abolitis emoriatur, itaque decurſum vitae humanae analogum præ ſe fert. Secunda illa aetas corporis humani ortum ſuum habet, ubi prima finem impoſuit, pergitque ad annum 50um, & omni hoc tempore homo nec increvit, nec decrevit, ſed non impedita natura perſtare videtur, imo

Corporis atque animae vires hucuſque ſteterunt.

Tertia & ultima corporis humani aetas merito cum ultima iſta plantae conferenda, initiumque ſumens cum fine ſecundi aetatis decurſus, nempe anno 50. atque pergit iſta per varios corporis humani decrementi gradus, quamplurima corporis conſtitutionis interitus; atque lapſus ſigna prodens, donec pervenerit ad ultimum illum vitae halitum, qui videtur eſſe annus 75 vel 80 prout homo citius, vel ſerius aetatis ſuae curriculum abſolvit, & ſic tandem vita per gradus ſenſim ſine ſenſu perit, cum minus in eo renaſcitur, quam emoritur, unde cum poëta exclamare cogimur.

Naſcentes morimur, finiſque ab origine pendet.

§. VI. Verum enim vero, non ſolum corpus humanum convenit cum vegetabili in ſtructura partium, & aliis operationibus §. III. §. V. Sed etiam in elementari ſua compoſitione §. IV. nam ſi a prima baſi ſeu principio incipimus, ut Geometrae facere ſolent, dicentes ſe habere pro objecto omne, quod menſurari poteſt; menſuram vocabant unitatem, quae repetita vocabatur quantitas. Hinc magnus ille Euclides vocat hoc punctum, ubi incipitur numerari, non ϛοιχεῖον, ſed σημεῖον, tunc punctum illud non eſt nihil, nam incipitur numerari, ſed eſt illud, ubi non poteſt ultra retro numerari, concipiebant dein ſuam lineam, ut viam iſtius puncti. Punctum ergo eſt illud ultimum minimum: ſed quid eſt ultimum minimum in corpore humano? videtur eſſe terra. Chemia clare docet, omne vegetabile, omne animal (ſic & corpus humanum, de quo loquimur) pro ejus baſi terram habere, meram, puram: ſic ſi coquitur V. G. veſicula quaedam animalis in aqua, omne fluidum in ea ſolubile aufertur, ſed veſicula manet, minuta quidem. Si ſicca dein in alcoholis flamma comburitur, omne oleum in flammam abit, remanet tantum figura illius veſicae, & ultimum illud terreſtre fixum, immutabile. Terreſtre illud principium ſuam unicuique rei conſiſtentiam.

tiam praebere videtur; imo ipſi Deo placuit tali vinculo uti in noſtra compoſitione, ut Moſes dicit:

Deus terram ſumpſit, & ex illâ hominem effinxit.

Datur vero nexus tali corpori in ſe ipſo vix ſolubilis ſed ſi ſemel ſolutus eſt, omnes reliquae partes, ſales, olea, aquae omnia corpora organica conſtituentes ſenſim ſenſimque evaneſcunt, atque in aërem avolant, ſic enim ſi cadavera mortuorum diu exponuntur aëri, omne amittunt de partibus ſolidis, retinetur tantum portio fixiſſimae terrae, illud vero terreſtre ſolum conſtans eſſe videtur, quod in corporis partibus invenitur; ut advertit Celeb. Boerhave parte ſecunda tomi primi Chemiae Cap. de aëre pag. 498. *Sed & illa ipſa, quae ſub terra conduntur cadauera ibidem in volatilem tenuiſſimam materiem brevi attenuantur, quae poſtea facillime exhalat in auras de ipſa terra*, & merito ſummus Vir pergit, dicens: *omnem igitur materiem corpoream, quae quondam conſtituebat corpora animantium, quae unquam exſtiterunt, in aërem raptam fuiſſe; parva terreſtris pulveris quantitate cum oſſibus relicta: ſi vero cadavera urerentur ilico; ſi in campis deſerta fuere, lentius; ſi ſepeliebantur, adhuc tardius; attamen tandem eo exhalaverunt*, & paulo poſt non ſine ratione ſubjungit, *quid ergo miri, ſi & inde iterum pabulo antiquo congener materia corporibus idonea alimenta præbeat, inde rurſum naſcituris.*

§. VII. Elementa vero haec terreſtria §. VI. non ſolum conſtituunt corpus noſtrum, ſed etiam miſcentur in omni noſtro alimento, atque cum fluidis in communem circulationem vi vitae corpori applicantur, atque cum eo connectuntur, & ex quibus cum fluidis partes variae ſoliditatis, uti fibrae, membranae, cartilagines, & oſſa fiunt. Dico hoc fieri debere per vim vitae, cujus ope continuo partes miminae abraduntur, deſtruuntur, & e corpore eliminantur, ſed per eandem illam vim corpori noſtro inſitam, eaedem partes deſtructæ reſtituuntur, hinc iſta vis merito vocatur nutritio, atque omne corpus naturale organicum ad certam porrectum magnitudinem incrementum ſuum pabulo in corpore hic jamjam recepto, & virtuti cuidam aſſimilatrici alimentum corpori noſtro alienum ſic mutare debet, ut veram noſtram corporis accipiat naturam; imo talis aſſimilatio fieri debet in omni corporis puncto, quod Hippocrates de alimento loquens jam olim notavit, " facultas alimenti pervenit, & ad omnes partes, & in nervum, & in venam,

„ & in arteriam, & in muſculum, & in pelliculam & carnem, „ & pinguedinem, & ſanguinem, & pituitam, & medullam, „ & cerebrum, & medullam ſpinalem & interanea, imo in omnes eorum partes„ Hinc merito concludendum, totum noſtrum corpus, antea minimam moleculam tantum per externa aſſumpta applicata, & in corpore ipſo vi vitae ſic mutata, ut per vaſa poſſint fluere, applicari corpori, & illud nutrire, per quam nutritionem increſcit, & alitur; in tantam molem, quam nunc habet extenſum; & hinc quoque patet, corpus conſtare, quibus nutritur.

§. VIII. ergo ſtatuendum elementa corporris humani terram eſſe §. VI. imo quo plus terrae adeſt, eo majorem cohæſionem adeſſe, & contra: atque huic terrae pro vinculo adjunctam eſſe aquam, & oleum, imo aqua non ſolum ſuperaddita eſſe videtur ut cohaeſio firmaretur, ſed ut inde modificaretur; nam patet, quo plus aquae interpoſitum eſt elementis, eo majorem in iis deprehendi obſequioſitatem, atque flexilitatem. Si ergo liceat nobis formare conceptum noſtrae conſtructionis, atque compaginis, quâ natura utitur in componendis ſolidis, merito dicere poſſemus eam ſumere elementa terreſtria, & haec elementa ſibi apponere ad mutuos contactus juxta longitudinem per vim attractilem elementi cum elemento, accedente principio oleoſo & aquoſo, ut inde naſcatur cohaeſio, & haec certa proportione pro diverſa firmarum partium conſtitutione, ac robore ſibi mutuo adjuncta conſtituere ſolidum ſimpliciſſimum corporis humani, ſeu fibram minimam ſimpliciſſimam quodammodo cum linea Mathetica §. II. conferendam ex elementis terreſtribus conſtantem, juxta longitudinem ſibi mutuo vi vitae, & ope glutinis tenuiſſimi, aquoſi, pinguisve applicatam, atque compactam.

§. IX. Si tales jam fibrae §. VIII. varia ratione, aut juxta longitudinem appoſitae, aut inter ſe contextae ſunt, ſic ut conſtituant latam aliquam ſuperficiem; haec vero dabit ideam membranae primae ſimpliciſſimae; ſi haec convolvitur, ut conſtituat cavum, jam idea habebitur vaſculi primi ſimpliciſſimi, ſi hoc vaſculum nunc denuo concipitur eadem ratione cum aliis vaſculis combinari, fiet membrana vaſculoſa, ex hac convolutâ vas vaſculoſum non compoſitum ex ſimplicibus fibris §. VIII. ſi haec compoſitio ulterius concipitur, inde enaſci poſſunt omnes partes ſolidae corporis humani.

§. X

§. X. Omnis ergo ſolidi origo eſt fibra minima ſimpliciſſima §. VIII ex eâ membrana §. IX. ex iis vaſcula, ex vaſis omnis generis naſcuntur viſcera, id eſt naſcitur ſic primario omne omnino ſolidum organicum corporis humani, tale vero organicum vocatur pars ſolida ex partibus ſimpliciſſimis §. VIII. §. IX. compoſita, quae talem magnitudinem, conformationem, figuram, ſitum, nexum nacta eſt, ut accedente cauſâ quadam movente effectum quemdam producere poſſit: eo reſpectu totum noſtrum corpus eſt congeries organorum: deprehenduntur enim omnia in eo ex partibus ſimpliciſſimis §. VIII. IX ſed tamen prius in partes minus organicas conflatis, V. G. pulmo organum eſt, habet ſuam conformationem, ſitum, nexum &c. quoad partes ſui conſtitutivas habet vaſa arterioſa, venoſa, veſiculas aëreas, cellulas, nervos &c. hae partes ſeorſim ſpectatae ſunt partes organicae, ſed ſimpliciores §. IX. hae ergo partes minus compoſitae invicem conjunctae conſtituunt organum majus, illudque reſolvi poteſt in organa minus compoſita, & ſic reſolvendo ad ſolidum ſimpliciſſimum §. VIII. reducitur. Agnoſcit ergo omne organum primitus pro ſua baſi primum, ſeu illud ſimplex, de quo §. VIII. Hoc ſimplex, fibra minima in varias figuras compoſita facit, ut organum inde efformetur, primo minus, e quo & pluribus conjunctis majus organum dein conſtituitur, & quatenus hoc conſtat ex diverſae naturae partibus, coagmentatae conſtituunt corpus noſtrum, quod determinatâ figura, ſitu, nexu &c. gaudet, ut ope harum qualitatum certos motus facere poſſit.

§. XI. Ex his jam intelligitur, quomodo ex talibus partibus ſimpliciſſimis §. VIII. IX. X. oriatur ſolidum corporis humani, ſed videamus jam paucis differentiam fluidorum, & ſolidorum (nam antea diximus hominem conſtare ex ſolidis, & fluidis §. II.) & quomodo ex partibus fluidis naſcantur ſolida. Pro quo notandum noſtra fluida eandem terram elementarem §. VI. quæ baſis ſolidorum, continere. Omnes partes ſolidae conſtituuntur ex terrâ, oleo, & aqua §. VI. ſed hac cum differentia, quod oleum, & aqua in partibus ſolidis minori ſit in quantitate, è contrario majori in fluidis; hinc quamprimum aqua ſola leni igne excutitur, eo magis approximantur partes terreſtres pauciori aqua interpoſita, tum non amplius dilutae abeunt in partes ſolidas. Experimentum hujus patet, ſi aqua e ſanguine venae ſectione emiſſo leni de cauſa diſſipetur, ſanguis iſte concreſcit, & tum terra illa ſanguinis non poteſt diſtingui ab illa terra, quam habent ſolida §. VI. idem ergo, quod fluida facit, facit & ſolida.

Quo

Quo plus aquae particulis terreſtribus interpoſitum, eo major fluiditas. Si fluida denſantur, in ſolidum abeunt, quod ſi itaque praeter naturam compinguntur, id eſt, dum tamen necdum organa conſtituunt, conſiderantur tum ejusdem naturae, cujus ſunt ſolidae; quod ſi enim elementum terreſtre cum terreſtri, & principio aquoſo conjungitur, ſi haec conjunctio tam firma, ut idea ſolidea partis inde naſcatur, idea fibrae ſimpliciſſimae ſimilis explicatae §. VI. naſcitur, ſive juxta aut praeter naturam ſit generata: cognoſcitur inde quomodo ex fluidis ſolida oriantur. Omnibus humoribus noſtris aliqua tenacitas adeſt, eo major, quo magis ad nutritionem praeparantur, ſic humores difflatis aquoſis abeunt in maſſas ſolidas, quod docent polypoſae concretiones e ſanguine natae, item pſeudo membranae; quando ſanguis effluit ex inciſo animali, & agitatur bacillo, vel expreſſionem facimus, ut aqua ſecedat, tum fit concretum aliquod quaſi texturam membranoſam exhibens, haec omni dote exprimit naturam partis ſolidae, & ſimplici concretione nata eſt; & ſic etiam quodammodo nutritio in nobis fieri poteſt, vel ut nempe liquidum extra vaſa ſua effundatur, vel vaſis applicetur, & concreſcat; habetur ergo idea, quomodo ex fluido ſolidum naſci poſſit. Id tamen clarius adhuc patet, ſi conſideremus, quod fluidum aliquod habeat proprietatem, ut condenſari quiete queat, hoc ſtagnans diſcuſſis liquidis abibit in formam ſolidam, vel membranam exhibens, vel aliud quidquam. Vel 2°. ut fluidum quidem mameat in vaſe, ſed vel per ſtagnationem, vel per expreſſionem aquoſi in ſubſtantiam magis compactam mutetur, quae cavum tubuli occupans, ut arcte ſatis contingit partem ſolidam, & nil fluidi vel vaporis intermedium, offendens, concreſcit cum ſuperficie vaſis, & cum abolito vaſis cavo conſtituit unum corpus ſolidum, ſpeciem ligamenti, aut alterius cujuscunque fibrae convenientiam habentis cum priori, de qua antea §. VIII. §. IX. diximus, & hinc patet, quod ſolida a primo ſuo ortu a liquidis, unde orta ſunt, tantum differant quiete, cohaeſione & figurâ. Et haec ſolida in prima ſua cohaeſione tenerrima, liquidis fere ſimillima per varios gradus intermedios tranſeunt, donec ad ſolidiſſimas partes perventum ſit: & id praeſertim docuit in ovis Malpighius: in embryonibus, foetibusque in comparabilis induſtriae in his indagandis Ruyſchius, imo & ipſa partium diverſarum accurata enumeratio. Cl. Boerh. Inſtitut. §. 443. &c.

§. XII. Jam vero notum ex Phyſiologia, quod univerſae vitae huma-

humanae ratio ſic ſe habeat, ut partes fluidae, & ſolidae debeant in ſe agere, hinc ſolida non habent tantum duritiem, ut non modo ferant impulſum à liquidis à corde motis, ſed etiam in contactu elementorum debeant dimoveri; id maxime neceſſarium, ut perpetuus motus, in quo vita conſiſtit, fieri poſſit, alias, ſi duritiem haberent non vincibilem, impulſa fluida ſuum motum amitterent, nec novum recuperarent a ſolidis per dilatationem ad contractionem irritatis. Nunc ut in ſe continuo agerent, & motum vitalem alias deſiturum reſuſcitarent, ita factum, ut elementa ſolidorum ſic cohaererent, ut à contactu poſſent dimoveri à fluidis, cedere his, & motum ab iis accipere, & ut ſic elementa reſilire in mutuos contactus poſſint; & ex hac reſilitione, & contractione novum motum generare, & fluidis commuminicare; ut ſolida nunc motum communicent cum fluidis, nunc fluida cum ſolidis; ex hac alterna communicatione motus fluidorum, & ſolidorum tota vita conſiſtit: ſed porro in ſolidis requirebatur, ut elementa quidem cohaererent certo niſu, ſed non tanto, qui non ſuperari poſſet; dum niſus major fluidis non ſuperandus, jam ſolida & fluida quieſcerent, & vita deſiſteret: ſi minor, fluida, vel nimium elongabunt, vel penitus ſuperabunt ſolidorum cohæſionem, deſtruentque; ſed natura hoc profſpexit, nam quoniam alia pars fortiorem impulſum debebat ſuſtinere à fluidis, alia minorem; hinc una pars longe majorem vel minorem duritiem, vel mollitiem habet, prout quaelibet pars determinatum motum liquidorum debet pati, hinc durities in cerebro longe minor, ac in oſſe, ergo uti pars alii uſui deſtinata, ita aliam habet cohaeſionem, nam ſi univerſum conſideramus in varia aetate; quaelibet aetas habet ſuum cohaeſionis ſolidorum gradum, ut quo homo origini propior, eo cohaeſio minor ſit, & id maxime requirebatur, alias non aptus foret illi augmentationi ſubeundae, quam per gradus ſubire debet: alius enim gradus cohaeſionis in adulto, alius in ſene, & hic converſio dari nequit, nam ſi cohaeſio adulti transferretur in infantem, fieret eo ipſo, ut ne minimum accreſcerre poſſet infans.

§. XIII. Jam ſolidis, fluidiſque eorumque actione inter ſe explicatis, videndum reſtat, quomodo homo jam è ſua conſtitutione corporis alimentorum ope, de quibus egimus §. VII. ad certam magnitudinem excreſcere poſſet. Quo homo origini propior, eo molliores, flaccidioreſque ſunt omnes ejus partes ob teneritudinem, & numerum vaſorum; & præſertim ob exceſſum fluidorum. §. II. quae omnia hic admodum praevalentia ad cor-

 pus

pus molle, ac pulpoſum reddendum conſpirant, & hoc quidem, ut in omnem dimenſionem facile extendi poſſet, neceſſarium: talem enim ob laxitatem, debilitatem, mollitiem ſolida quoque minorem habent reſiſtentiam: hinc a motis per vim cordis liquidis facile elongari, atque ob minus firmam cohaeſionem. §. XII. in majorem dimenſionem extendi poſſunt: uti notat Celeb. Boerhavius in Inſtitut. §. 465. dicit ,, clarum eſt, ,, vaſa illa, quo teneriora, recentiora, propiora cauſae mo- ,, venti, eo facilius elongari, diſtendi, deſtrui, refici poſſe ,, ,, & §. 466. ,, ergo corpora noſtra, quo propiora primae ſuae ,, origini, eo plus excreſcere ,, unde patet, quare corporis humani, quo propius origini ſuae, incrementum velociſſimum ſit, eo quod ſolida vix reſiſtant; & humores propulſi per canales conicos plenos a baſi verſus apicem ſemper conentur producere latera ſuorum canalium ſecundum axin longitudinis. vid. Clariſſ. V. Swieten in Aph. Boerh. tom. 1. pag. 40. hinc ergo quamdiu ſolida cedere poſſunt, & canales per vim cordis, cujus ope omnia moventur fluida, elongari poſſunt, creſcit homo, reſiſtentia autem ſolidorum majori facta, non amplius creſcere hominem evidens eſt: idem illud corpus a ſummo Artifice ſic eſt fabrefactum, ut per ipſam vitam neceſſitate conſequente ſic mutetur, ut a ſanitate diſcedat, & ad varios producendos morbos diſpoſitum ad vitae ſuae finem deducatur, imo ut per primam cauſam vitalem, ſeu actionem cordis, cujus ope ex minimâ moleculâ § I. in tam magnam, & vaſtam molem excrevit, & quae vis robur & conſtantiam corpori pro tempore conciliat, idem illud corpus decreſcat, & ad ſui interitum tendat, ſic ut homo per propriam ſuam vitam corpoream. § XII. e ſemine parentum acceptam §. I. nullo alio intercedente morbo, tandem deſtruatur.

§. XIV. Dico vitam corpoream §. XIII. nam vitam triplicem in homine ſtatuere poſſumus; per vitam vero in univerſum intelligimus vim agendi ex interno principio, dum V. G. arbor ex interno principio ſe ſuſtentat, ramos, flores, folia explicat, dicitur vivere, idem in foſſilibus, quatenus vim internam habent, juxta quam agunt: homo vero enim binis ſubſtantiis conſtat, mente, & corpore, alia inſuper vita, neque litem illam attingimus, an binae claſſes actionum, quarum aliae corpori, aliae menti attribuuntur, ex eodem principio §. I. fluere poſſint, determinari experimentis, & ratione vix poteſt, an id, quod mens vocatur, ſit abſolute ſubſtantiâ diſtincta in corpore nec ne, id tantum ſapimus ex

ex ſacris litteris. Omnia enim argumenta, quae hic afferuntur, quod mens alia ſubſtantia ac corpus, & quod actiones mentis non poſſint cadere in corpus, nec evidentiam, nec certitudinem inducunt: ſufficit, quod in homine detegamus actiones, quae ab aliis adeo ſunt diſtinctae, ut vix concipi poſſit, omnes ex eodem principio fluere poſſe. Admittimus ergo interea, hominem anima & corpore unitis conſtare, habere duas ſubſtantias, quae amico nexu conjunctae hominem conſtituunt, & ſic fluit ſponte, triplicem dari vitam, aliam corporis, aliam mentis, aliam mediam. Vita corporea, de quâ, quid ſit jam aliquid diximus §. XII. & paulo poſt adhuc quid de eâ dicetur.

§. XV. Vitam mentis non cognoſcimus, cum mentem ignoremus, ſcimus actiones mentis, quibus determinamus, quod conſiſtat in facultate cogitandi, ideas combinandi, affirmandi, negandi &c. & hoc omne eſt, quod de vita mentis ſcimus.

§. XVI. Tertiam vocamus mediam, quae eſt ea unio corporis humani cum mente, per quam mens in corpus, & corpus in mentem agere poteſt: homo enim vivere poteſt ſine vita mentali, patet in apoplectico, ubi corpus ſolum adhuc vivit, reſpiratio, & pulſus adeſt, quae vitam corpoream oſtendunt, quoad animalitatem mors obtinet, niſi quod apoplecticus iterum excitari quandoque poſſit: interim ſi credimus ſacrae ſcripturae mentem ſeparatam a corpore ſuam vitam §. XV. agere poſſe, nec ratio, cur negemus menti ſeparatae omnem cogitandi poteſtatem: cogitatio ex ipſa ejus vita fluit §. XV. hinc & menti ſua vita ſtatuenda, quae non dependet à vita corporis, & ſtatuendum corpori eſſe ſuam vitam §. XII. & poſſe agere vita mentis §. XV. deſinente. Eſt ergo tertia inſuper vita non corporea, nec mentalis, aeque ad mentem, ac ad corpus pertinens; Eſt unio mirabiliſſima, quae interpoſita inter duas illas ſubſtantias, tanquam vinculum, per quod mens cum corpore, & corpus cum mente agere poſſit: in qua vero re conſiſtat, aeque parum notum, ac quid ſit vita mentis; dum conſideramus paſſiones, quas haec duo communicant, eo magis patet, rem hanc obſcuriſſimam eſſe, nec fere unquam detectum iri.

§. XVII. Notum vero mentis & corporis eam eſſe unionem, ut pro varia conſtitutione corporis mens excitetur vel afficiatur, quod varia ratione mens per diſpoſitionem corporis ad alias cogitationes diſponatur, quod iterum prout mens aliter, vel aliter agit, corpus itidem mutetur, ut corpus exhibeat inſtrumenta;

juxta quorum diverſitatem mens aliter, & aliter operetur, clare hoc videmus in infantibus, ubi, ut inſtrumenta corporea lente evolvuntur; ita videmus, ipſam mentem, & ejus operationes §. XV. evolvi, ac ſi cum corpore & inſtrumentis creſceret, ac iterum decreſceret mens, in qua tamen nec incrementum, nec decrementum concipio, ſed. concipio, dum inſtrumenta corporea nempe, aptiora evaſere, mentem melius perficere poſſe ſuas operationes §. XV. deſcriptas, quas non ante inſtrumentis carens perficere potuit; & hoc patet, nam videmus in medio aetatis vigore conſtitutis, mentem quaſi ſapientiorem eſſe ob rationem dictam, & ſic jam explicuimus, quid vita mentis, quid vita media ſit, atque quomodo actiones earum inter ſe conſtitutae ſint: reſtat jam paucis aliquid de vita corporea addendum.

§. XVIII. Vita corporea eſt ea fluidorum diſpoſitio §. XII. quæ circuitum humorum perdurare facit; unde patet ab eo tempore, dum ſummus Harvæus circulationem detexit, didicimus demum, quid vita corporis ſit, dum ejus ratio ante obſcuriſſima; hinc ſi talis circulatio adeo abſolute deficiat, ut non modo deſinat, ſed nec reſtitui poſſit viâ naturali; homo mortuus dicitur: & ad talem mortem homo per propriam ac primam cauſam vitalem §. I. quippe circulationem ipſam, cujus ope homo creſcit, perſtat, deſcreſcit §. XIII. ex ſua conſtitutione corporis determinatur: Sic ut homo per propriam ſuam vitam, ut diximus §. XIII. XVIII. deſtruatur. Quod ſpero me in ſequentibus paginis obiter tranſcurrendo poſſe aliquo modo demonſtrare. Sed his jam in conſpectum productis, indagandi prius nobis erunt morbi, ad quos homo in primo ſuae vitae ſtadio maxime proclivis ſit.

§ XIX. Quam primum vero Infans, ruptis clauſtris, aëri & lumini liberiori exponitur, ac reipublicae humanae civis evadit, ex ſingularibus mutationibus, quas ſubit, cum jam excluſus utero adoleſcit; ut jam in aëre liberiori conſtitutus, ex ipſa natura mutationum, quæ ei poſt partum accidunt, variis morbis fit obnoxius. De morbis vero, quibus infans in utero jam infeſtatur, ut naevis maternis, mala conformatione, morbis hereditariis nil dicere decrevi, ſed de iis, quibus omnes infantes ſunt expoſiti ob aetatem infantilem.

§. XX. Sub ipſo partu errore obſtetricum plurimi morbi organici aliquando oriuntur, ſic tot claudicationes a fortiter, ruditerque tractis pedibus; alias vel coſtae diſtorquentur, ut haec

mala

mala per totam vitam ferenda ſint. Celeb. Boerhaav. vidit inde artus puerorum luxatos, imo fractum humerum, & alia ut videri poteſt apud Hallerum in ejus prælectionibus Academicis. Idem Boerh. in ſuis Inſtitut. dicit „ his vero corpuſculum tenellum, „ agitatum, preſſum, tractum, pulſum, ligatum deformatur ali- „ quando in faciem vix poſtea emendabilem, imo caput molle „ rudiori tractatione in aliam figuram interdum ſic mutatur, ut hinc naſcatur cerebri tam mala confirmatio, miſera fatuitas per totam vitam hominem torqueat; & hinc idem Clariſſ. Auctor in praelectionibus ſuis Academicis ab Hallero editis, dicit „ ſaepe co- „ gitavi, feliciores fore mulieres, ſi omnino obſtetrices nullae eſſent.

§. XXI. Dein vero foetus utero contentus mediis haerebat in aquis, jam natus nudo puroque aëri exponitur, unde ſumma mutatio, nam pulmo antea non egit in utero, ſed ſimul ac in lucem editus eſt infans, aëre ambiente premitur, tunc incipit inſpirare & reſpirare: imo debet jam omnis ſanguis trajici per pulmones nondum iſti aſſuetos, nam in utero materno tantum pars quædam per pulmones transmittitur, reliquus vero ſanguis abiit per foramen ovale, & canalem arterioſum: hinc patet, quam mira mutatio in toto corpore inde naſcatur. Pulmo fit reſpirans, & dum vaſa aërifera huc usque in utero materno fere muco plena, dum feriatus eſt munere ſuo, jam non muco, ſed aëre replentur veſiculae, dum nunc illa mucoſa officina adeo actuoſa, hic fit, mira mutatio, dum vaſa aërifera parciorem nunc debent fundere mucum, hic mucus ſi copioſior affluat, & vaſa aërifera mucoſâ hac materie plena, oriuntur aſthmata, tuſſes ſubinde convulſivæ, pectoris oppletiones; & alia mala. Ad expediendam in recens nato reſpirationem, natura quandoque adjuvat vomitum excitando, quo non modo ventriculus verum & ipſe pulmo expurgatur.

§. XXII. Recens natus infans tenerrimus, ſenſiliſſimus, ab ore ad anum usque repletus eſt glutinoſis, caſeoſis, lentis ſtrigmentis; quæ calore, diuturna ſtagnatione acria reddita hærent in primis viis, inde miſere aliquando afficitur, eorum enim motu, & moleſta irritatione producuntur nauſeae, vomitus tormina, ſingultus, convulſiones; natura vero ut diximus §. XXI. interdum juvat, vomitum excitando, quo hac materie liberantur, alias mire vitiant chylificationem, & reſorptio chyli impeditur, ut inde miri languores; & ob talem repletionem, & inviſcationem primarum viarum, oriuntur aſſumptorum indigeſtiones, cruditates,

ſubinde icteri, nam bilis cyſtica nondum influxit, reſpiratione nondum in actum deducta, hinc ſuperficies inteſtinorum non poteſt detergeri, ut reſorptio aptior fieret, dum nunc ad orificium ductus communis talia ſtrigmenta haerent, ut bilis exire nequeat, inde fit regurgitatio ejus in maſſam ſanguineam, futuri icteri cauſa.

§. XXIII. Faeces jam ano excludendae, quae hactenus tantum diſtenderant inteſtina, aſſueta retentioni: unde mira mutatio: imo notum tenaciſſima ea materie omnia inteſtina Infantis eſſe repleta; materies haec ad inteſtinum rectum ſicca, & longe tenacior eſt, quia quo magis ad inteſtina craſſa venit, eo magis liquidiora amiſit, hinc ad inteſtina craſſa haeret aliquando tam tenax, ut vix excerni poſſit; ſi faeces nunc non poſſunt expelli, ſubita mors ſubinde naſcitur: imo idem hoc interdum etiam evenire ſolet, ubi anus infantis non eſt perforata. Si jam tale meconium, tempore geſtationis collectum non ſat cito epellitur ob debilitatem foetus, vel duritiem materiae, vel copiam nimiam, aut ſiccitatem viae, ob moram diutius protractam, & liberum aëris acceſſum corrumpitur, & acre fit, nam meconium a principio vix acre eſt, ſed fit, ſi aër accedit: hinc a copia, & acrimonia ſua inteſtina diſtendendo, rodendo, vellicando enormes producerſe ſolet convulſiones, & ſi contingit, ut materies ſubtiliſſima venis bibulis reſorpta ad interiora deducatur, ſanguinique commiſceatur, quam varia non producit mala, ut febres, inflammationem ſuppurationes, aphthas, imo mortem inopinatam. Egregie hac de re magnus Boerh. aph. 1345. ab ejus mora, aëre jam appulſio ,, acrimonia, acor, putredo, in vapores reſolutio, adeoque hinc ,, dolores torminoſi, convulſiones, nauſeae, vomitus, ſingultus, ,, tuſſes ſternutationes, clamores, fletus, pervigilia, macies, ,, mors." Haec vero intelliguntur cogitando ſummam ſenſilitatem infantum, qui quaſi toti nervoſi, accedit, quod nervi inteſtinorum communicent cum nervis cerebri, narium, & faciei hinc dum nervi inteſtinales agitati, irritantur, fiunt facile ſternutationes ex conſenſu nervorum abdominalium cum vaſis membranae Sneiderianae, aliarumque partium.

§. XXIV. Jam vero etiam exeretio urinae per aliam viam fieri debet, quoniam per urachum jam ligatum tranſire amplius non poteſt, ſic nova hic incommoda, & dum nunc per urethram fit, evacuatio urinae, dum nunc impeditur egreſſus per urachum, an non cito fundamentum; & principium calculi, dum diutius ſtagnat

nat urina, inde enaſcitur: & veſica excoriatur, vel aliae diſpoſitiones oriuntur, quae ad hoc contribuere poſſunt? eadem enim mala aeque in tali infante, ac in adulto ab iſchuria oriri poſſunt; „ Urina vero ſuppreſſa veſicam, ureteres, pelvim, renes diſten- „ dendo, rodendo, putrefaciendo, labefactat, corrumpit, toti „ lymphae cruoris acrimoniam alcaleſcentem conciliat: hinc ce- „ rebri tenella ſtamina laedendo, anxietates, ſopores, inſom- „ nia, vertigines, apoplexiam profert" ut patet ex Clarl. Boerh. Inſtitutionibus.

§. XXV. Et qui hactenus in calido veluti balneo haeſerat, jam frigido aëri exponitur, ex hac etiam mutatione plurima incommoda oriri poſſunt: dum frigus ſuſcipit, quoniam omnis ſuperficies corporis nondum ſatis calloſa, ut poſſit his injuriis reſiſtere. Recte immortalis Harvaeus in ſuis exercitationibus; „ non magis „ mirabile videtur, quod fœtus ex tam ſubitanea, adeoque ap- „ parenter periculoſa mutatione, quam ſubit, ſimul atque ex „ clauſtris vappidis uteri materni in liberum apertumque irrum- „ pit aërem, ac ſtatim graviter, & fere lethaliter aegrotet, „ quidni enim loci frigidi cum calido, humidi anxioſique aeſtua- „ rii cum aura ſicca, patulaque permutatio, & ab aëre in pul- „ mones primo irrumpente, & inde ſuccedente reciproco reſpi- „ rationis negotio, maxima in ſanguine facta mutatio totius cor- „ poris ſenſibilſſimam inducat alterationem, tantam ſane, „ quantam poſt primam hanc inſpirationem uſque ad „ ultimam exſpirationem per totum vitae curſum, vix perferre videtur animal: „ hinc ergo perſpiratio impeditur, inde eadem fere mala oriuntur ac ab iſchuria §. XXII aut perſpiratione ſuppreſſa: verum majora diſcrimina vitae oriri videntur ab iſchuria, quam a perſpiratione ſuppreſſa, nam haec majori excretione urinae ſuppleri poteſt. Hac vero impedita, varia quoque producuntur Symptomata; „ facit vero cutis vaſcula ſiccari, emori, „ hinc & majora excretoria obſtrui arefacta; mutatur inde cir- „ culatio, retinetur acre, oritur putredo, cruditas, febris, inflam- „ matio: & alia mala, vid Boerh. Inſtitutiones. Poteſt quidem infans muniri faſciis, veſtimentis, aliisque contra frigus externum, ſed ob neceſſitatem faecum, urinae abſterſiones, frequenter denudari debet, ne excoriatio in partibus inferioribus fiat; & talem ob denudationem ſaepe morbi iſti refrigeratorii ipſis contingunt: imo aliquando ſic muniuntur contra frigus cuſtodum incuria, ut partes inferiores propius oppoſitae igni ſaepe adurantur, unde ſumma interdum vitae pericula.

§. XXVI.

§. XXVI. Quamvis vero jam infans felici partu recens in lucem editus, aëris injuriis, aliiſque malis expoſitus inde non laedatur. Haerebat vero antea in media aqua tepida, ut flexio undique aequabilis foret, nunc a capite ad pedes uſque conſtringitur, arctatur, atque involvitur faſciis, veſtimentiſque duris, aſperiuſculis, aliquando ſtrictura admodum inaequali, ut inde totus humorum circuitus perturbetur, imo aliquando thorax a nimia per faſcias adductione ſic conſtringatur, ut fere inde ſuffocetur; nam ob circumvolutiones faſciarum primo quidem leves, ſed plures lenes compoſitae violentam aliquando vim exerere poſſunt, facile reſiſtentiam tenelli corporis fabricae ſuperaturam, ſic ut pectore jam anguſtato pulmones ſuum officium praeſtare nequeant, & aëris ingreſſus denegetur: unde fere ſuffocantur: ſic quoque dicit Lud. Mercat. de Morbis puer. lib. 2. cap. 6. „ nimiam in puellis praeſertim faſciarum compreſſionem, quâ „ potiſſimum utuntur ad corporis gracilitatem, & pulchritudi„ nem, quarum occaſione quodvis excrementum ex aſſumptis „ facile inculcatur, & preſſiſſimas molitur obſtructiones, ac du„ ras extuberantias, & inaequales eminentias figurat: hiſce om„ nibus arcetur acceſſus." Ad receptaculuum vel glandulas lumbares, lacteas, chyli, & vel vomitu, vel alvo redditur: unde perit genio ſuo defraudatus infans. Aliquando caput talis tenelli ſic faſciis comprimitur, ut in ſoporem, apoplexiam incidat. Imo ſolent cuſtodes mala conſuetudine aures quoque tam proxime ad caput per faſcias applicare, ut inde aliquando auditus non tam pulchre vigeat: dein cuſtodum, & nutricum negligentia varia mala corpori tenello per faſcias, veſtimenta nimis arcte atque inaequaliter applicata oriuntur, nam partes corporis adhuc flaccidae, molles per talia veſtimenta ſaepe in figura, ſitu, & nexu ſic laeduntur, ut interdum pedes, brachia inde decurtentur, vel infantes inde gibboſi reddantur, & alia mala per totam vitam, cuſtodum negligentia, ferenda accipiant. Sic Boerh. in ſuis Inſtit. dicit. „ fortis preſſio, valida diſtractio, ligamentorum, aut „ membranarum coërcentium laxatio, aut diſſolutio; producunt luxa„ tiones, contorſiones, hernias, procidentias partium: dein ſi addatur, quod infantes ſeſe non poſſint ſuſtinere quodque debeant bajulari, quam variae inde non fieri poſſunt contorſiones aliaque mala, imo aliquando infantes inde redduntur gibboſi; ſic ſaepe fit, ut foemina plurimum noceat puellis, dum eos in idem brachium, eundemque ſitum ſemper reponit, cum corpuſculum in omnem ſitum poni & undique aequabiliter premi oporteret: ex hoc vero peſſimo more ea pars minus creſcit, cui puer innititur, altera vero liberius, inde deformitas:

unde

unde non raro femur alterum, aut brachiolum debilitatur, aut omnino paralyticum redditur: ſaepe etiam quando infans geſtatus ſe reclinat, & ſuper brachium retroflectit, illa vero pedes retinet lapſuri, & eâ actione fit, ut claudicatio perpetua ſequatur. Vide Hallerum in Boerh. praelectiones Academicas.

§. XXVII. In Umbilico varia Symptomata interdum oriuntur, nempe a nimis forti conſtrictione, vel ſi umbilicus nimis tenui filo ſcindente vulneratur, hinc partes vicinae aliquando inflammantur, aut interdum ſtrictura nimis laxa anſam dat herniae: in medio enim anteriori abdominis habet homo cicatricem, quae relicta a reſecto funiculo umbilicali, ibi loci tunc in ea media regione major peritonaei debilitas, quia deficiunt ibi muſculi incumbentes, & expanſiones tendineae non tam firmae, quin hic in aetate juniore ibi loci longe major debilitas, minor vis reſiſtendi viſceribus ab intro extrorſum urgentibus, ſi nunc cauſa nixu quodam premat viſcera, ut quaerant exitum, tum praeprimis in hanc regionem, ſi nixus major, & debilitas, naſcitur hic magnus ſaccus, is locus tanto facilius nixu afficitur, quia centrum quaſi facit fortiſſimae preſſionis. In medio maxima contractio, & dilatatio percipitur, inde ſi umbilicus non admodum concrevit, vel ſi cicatrix non bene facta fuerit, facile ibi dilatatur. Unde in infantibus frequens eſt malum, ſi non ſatis diu faſciis haec regio firmetur. Sic Clariſſ. Heyſterus in Chirurgicis Part. II. Sect. V. Caput. CXIV. §. 3. ſequentia profert „ nonnunquam „ peritonaei nimia, & peculiaris quaedam juxta umbilicum laxitas, ſeu debilitas in cauſa eſt, cur inteſtina, vel caeterae „ res indicatae inteſtina, omentum, per umbilicum prorumpant: „ praecipue ſi ſuperius enumeratae cauſae (preſſio quippe partium ſubjectarum verſus umbilicum terminata) aut vehemens „ etiam in infantibus teneris ejulatus acceſſerint. quo ſaepe fit, „ ut haud pauci infantibus proximis a natali diebus, ut ſaepius „ ipſe vidi, jam hoc vitio laborent, praeſertim ſi umbilicus, „ lapſo funiculo umbilicali, non per aliquot tempus faſcia diligenter cohibeatur „ Sic quoque & in alias hernias ob laxitatem, & debilitatem corporis proclives ſunt. Quidem praecipue in inguinalem; ſi conſideremus, quod in utroque inguine, ubi prodit funiculus ſpermaticus, ibi binae regiones, ut ex conſtitutione egreſſus illius funiculi notum; ibi vel deficiunt muſculi, vel ſaltem caro, eſt tantum ibi annulus, qui transmittit funiculum ſpermaticum. Si jam homo debilioris naturae, ut infantes ſemper eſſe ſolent, vel major debilitas in iis locis, quae

naturaliter ob rationem dictam debiliora ſunt, ſi nunc ſubitus accedit impetus, ut viſcera fortius impingant; vel ſi extrinſecus cauſa valido ictu ad inguen applicetur, ut ibi peritonaeo vis inferatur & debilitas, tunc ſucceſſiva fit dilatatio, & ingrediuntur partes abdominis iſtum ſaccum, extendunt, fit hernia inguinalis: ſed neceſſario requiritur cognitio, quia interdum adhuc hærent in illa regione teſticuli, herniam mentientes; non tamen, ut aliquando accidit, ſemper ideo priusquam decidatur, de praeſentia, debet pertentari ſcrotum, an ſuos contineat teſtes. Hae herniae ſi diutius durant, faciunt aliquando ſaccum protenſum ab inguine usque ad teſticulum, ut partibus in ſcrotum exitum concedant: imo faeminae etiam affici poſſunt tali hernia inguinali, licet ibi loci non emittant funiculum ſpermaticum, tamen ſingularem funiculum transmittunt, nempe ligamentum uteri teres, hinc etiam, ibi partes ſunt debiliores, & illae herniae non tantum in inguine ſubſiſtunt, ſed & ad labia pudendorum ſe extendunt, ut apud Chirurgos obvium.

§. XXVIII. Verum enim vero mira mutatio quoque accedit corpori huic tenello, & praecipue quidem ejus actionibus naturalibus, primo enim incluſus utero mirabili communicatione cum matre nutriebatur, jam vero in aëre liberiori conſtitutus per os ingerere debet alimenta a viribus ſuis coctricibus in bonum nutrimentum praeparanda; verum ventriculus, & inteſtina alimento coquendo, & in bonum chylum, & ſanguinem convertendo adhuc imparia: hinc natura commodiſſimum huic tenello praeparat in corpore materno, ſic ut licet ſeparatus a matre, tamen nexus vix diſſolubilis inter ipſum, & matrem detur, utpote corpus ejus a prima germinatione embryonis nutrimentum proprium, & particulare fabricavit, unde eaedem vires relativae inter matrem, & recentem infantem etiam adhuc neceſſariae videntur; quid enim fecit natura? alimentum, corpori matris ingeſtum corrigit, praeparat, deducit in ſanguinem, facit circumduci cum humoribus, ut inde praeparetur lac, hoc dein deducitur ad mammas, atque exhibetur ſugendum infanti, quod lac alimentum commodiſſimum praebet infanti, & quo ſenſim roboratur, donec propriis ſuis viribus coctricibus alimentum crudum ſibi poſſit aſſimilare.

§. XXIX. Sed à Structura corporis jam deſcripta §. II. §. XXVIII. & ab alimenti naturâ morbi inde orituri facillime intelligi poſſunt; corpus enim eſt debiliſſimum, & lac ſi paucis horis in certo caloris gradu tenetur, in acidum vergit, inde debili ventriculo infantis re-

receptum quoque in acidum ſpontaneum cito mutari ſolet, niſi a viribus ad digeſtionem aliiſque conſpirantibus ſuperetur: ſed omnes fere infantes ex conſtitutione corporis §. II. debili laborant ventriculo, hinc calore loci plus minuſve hoc acido laborare ſolent, imo miris modis cruciantur, hac occaſione Celeb. Harris de morbis infantum „ humorum aciditas cauſa exſtat primaria omnium affe- „ ctuum, quibus tenera haec a ateas excruciari ſolet. " Sic quoque Boerh. in Aphoriſmo 1350. loquens de acido dicit; ſi vero uſquam, hic antiacida uſum habent.

§. XXX. Scimus enim lacti talem eſſe indolem; ut ſponte ſecedat in ſerum, butyrum, & caſeum, hoc modo ſi in corpore ſecedit, indies magis condenſatur, donec iners maſſa in ventriculo haereat, fit vero hinc immeabilitas, nam dum aquoſum abſcedens caſeoſum relinquit, quod adeo dureſcit, ut interdum peſſimas producat obſtructiones; & materies talis ſtagnans in loco calido ſenſim acrimoniam acidam contrahit, quod patet ex faecibus acidum ſpirantibus; quod ſi vomitu redditur, acorem ſummum habet, quo dolores convulſiones rerribiles fiunt; quae facile ſequuntur ex cognita natura nervoſiſſima infantum. Tale vero coagulum craſſimum tenellis accidit ob ventriculi debilitatem §. XXIX. unde alimenta ſuam ſequuntur indolem, & in acidum convertuntur, dein aliquando, quia nutrix acido nimis laborat, hoc interdum quoque accidit ob ſaepius repetitam lactationem, nam peſſimum quod iſti infantes acido laborantes ſpuriae famis ſtimulo teneantur, dum interim omnia, quae aſſumuntur: fermento jam acido in primis viis haerente ſimiliter inficiuntur: ſi enim ingeratur uovum lac, priori nondum cocto, nec in naturam corporis mutato, ſed in ventriculo, in acidum converſo, & ſic porro, lac illud ſuperingeſtum grumeſcit, caſeeſcit, & abit in mucaginem acidam, viſcidam, & tenacem; unde patet matrem infantem nimis alendo interficere poſſe, ut jam olim Kerkringius obſervavit: & Cl. Boerh. in Aph. 1354. ad 1356. 1357. „ Multum patiuntur ab ipſo lacte, „ dum id nimis cito, fortiterque in ſtomacho coagulatum, com- „ pingitur in unam maſſam gravem, acremque. Hæc enim ſen- „ ſim acrior, acidiorque reddita, faeces alvi virides, acidum ſpi- „ rantes, materiem vomitu rejectam acidam: hinc tormina, fla- „ tus, dolores, & infinita alia excitat, maxime convulſiones, in- „ ſultus porro epileptici hinc plerumque originem ducunt, irri- „ tato genere nervoſo ope acrimoniae vellicantis. " Hinc ergo merito concludendum humorum, aciditatem eſſe cauſam primariam fere omnium morborum infantum,

§. XXXI. Nonne merito referri huc poſſunt vitia illa, quae lac ſugendo contrahuntur a nutrice? Videtur revera, quamdiu lactatur infans, commercium adhuc datur inter nutricem ſimile, ut in utero, ſed non tam intimum, non autem hic puto locum habere morbos, quos mater ſive nutrix per lac communicat, ut ſcorbutum, luem veneream, alioſque morbos, quia etiam aliis rationibus per contagium in hominem tranſeunt, & non habendi pro morbis juxta aetates obvenientibus; ſed de ea loquor conſtitutione nutricis, qua tantam poteſtatem in infantem habet, ut ſi pathematibus animi afficiatur, aliquando tales, affectus in infante, ac ſi illum utero adhuc contentum, connexumque haberet; ſic viſum toties nutricem perterritam, vel iratam in corpore ſuo non paſſam convulſiones, ſed ita irata, vel perterrita ubera dum praebet, vix diglutit infans corruptum lac, quin in convulſiones aliaque mala incidat, quod autem experientia practica ſaepius docet. Imo aliquando tenelli iſti infantes magis adhuc cruciantur, nempe dum lac ſugere & linguam exſerere nequeunt ob frenulum linguae nimis latum: unde varia aliquando mala, de quibus conſulendi Chirurgi.

§. XXXII. Porro ex ſingulari conſtitutione ſumma ſcilicet ſenſilitate, quo origini propior homo, eo nervi majorem proportionem habent ad reliqua ſolida, teſtante Malpighio. Inſuper nervi in omnes partes diperſi habent tenuiores vaginulas, quam in adultis, hinc ob utramque rationem major ſenſilitas in infantibus, praecipue ratione organi guſtus, tactus, & odoratus; viſui, & auditui proſpexit natura, ne nimium in tam variis locis adeo ſenſibilibus afficeretur: guſtus adeo in iis viget, dum acria omnia averſantur: idem patet in olfactu, dum laeviſſimae cauſae, quae hominem adultum vix attingerent, ſternutationem in infante movent; ex hac vero nervoſitate plurimi morbi infantum, ita ut ſyſtema nervoſum in parte affectum ob ſingularem ſenſilitatem reliquos partes in conſenſum trahat, ut in epilepſia patet. Hi morbi uti frequentiores in infantili aetate, ita minus periculoſi, ſi vero alio tempore accidant V. G. poſt annum ſeptimum, tum juxta Hippocratis effatum cauſam vehementiorem ſupponunt, & longe periculoſiores ſunt; ſic dicit Hippocrates in Prognoſt tom. VIII. pag. 683. & in Coac. Praenot. N°. 356. 357. ibid. pag. 871. „ Pueris vero convulſio-
„ nes fiunt, ſi febris acuta fuerit, & venter non dejiciat, & vi-
„ gilent, & perterreantur, & ejulent, & colorem immutent, &
„ ex viridi pallidum, aut lividum, aut rubrum induant. Haec
„ autem promptiſſime accidunt puerulis recens natis ad ſeptem

annos

„ annos uſque. Adultiores autem pueri, & viri, in febribus jam „ non prehenduntur convulſionibus; niſi vehementiſſimorum, & „ peſſimorum ſignorum quid acceſſerit, qualia in phrenitide fiunt.

§. XXXIII. Dein laxitas corporis infantili aetati naturalis huc pertinet; & quae neceſſaria §. XIII. notum vero, quo homo propior origini, eo plures humores continet, & laxitas major in ſolidis, inde omnes morbi, ut ſequelae ex his huic aetati magis proprii: hinc excrementorum talium per mucum, ſalivam, alvum, urinam excretio maxima, eſt ac ſi natura vellet ubique mucum excernere, ſi imminuta haec evacuatio, duriſſima mala inſequuntur, & praeternaturales evacuationes fiunt, ut achores, puſtulae, herpetes, excoriationes prope hypochondria, pone aures, ſub axillis: hae puſtulae vel excoriationes quamdiu mucoſa, vel aquea materia ſtillant, optime vigent infantes; quod ſi hae evacuationes ſupprimantur, peſſima inde mala: ad haec vero praecavenda Hippocrates lib. I. de diaeta prudenter admonet „ ex aetatibus morboſiſſimae ſunt juniores, corpora autem cito augeſcunt, & tales „ diſtillationibus obnoxii ſunt, his conducit exhibere quaecunque „ ſiccant, aut frigefaciunt.

§. XXXIV. Pertinet huc quoque incrementum ſingularium partium, quod etiam morbis obnoxios facit infantes, videmus hoc in eruptione dentium. Natura enim ſeptem menſibus exactis, ad cibos ſolidiores manducandos inſtrumenta firmiora, nempe dentes, praeparare incipit. Tales ſi dentes ex alveolis prodeunt, membranam denſiſſimam perrumpere debent, hinc ob conſtitutionem corporis deſcriptam §. XXXII. fiunt enormes dolores, convulſiones, febres, aliaque mala, quo citius quidem erumpunt dentes, eo melius, quo origini propior eſt infans, eo citius & facilius prodire poſſunt, uſu magis occaleſcunt gingivae, ſic eo difficilius a dentibus molaribus poſſunt penetrari: inde major dolor, convulſio, & inflammatio: certum, quo infans calidior, adultior, quo ſtrictioris alvi eſt, eo pejus habet ad tempus dentitionis. Hippocrates aph. 25. ſect. 2. „ ad dentiendi vero tempus accedentibus gingivarum „ pruritus, febres, convulſiones, alvi profluvia maxime quum „ caninos edunt dentes & iis praeſertim pueris, qui craſſiſſimi „ ſunt, & qui alvo ſunt dura. Verum datur tanta differentia inter unum, & alterum infantem dentientem, ut in uno citra dolorem erumpant, alteri vero ſi ſit robuſtior, negotium dentitionis plurima mala faceſſat Funeſti hinc interdum morbi, in ore adeſt inflammatio, tumores fiunt enormes: unde convulſiones, febres per-

tinaces &c. ſic Boerhavius aph. 1374. dicit, „ quando dentes in„ cipiunt prodire, maxime acuti ab tenſione punctura, laceratio„ ne gingivarum nervoſarum, ſanguinolentarumque, oritur in„ flammatio, tumor, gangraena, convulſio, alvi fluor viridis, „ ſalivatio, febris, mors.

§. XXXV. Dentibus jam inſtructi alimenta duriora aſſumere incipiunt, ſed talibus cibis crudis, fructibus horraeis, carnibus, caſeo, ſimilibuſque utentes iterum in alios incidere ſolent morbos, a vermibus originem ducentes. Hi nunquam adeo ex lacte, ſed ex crudis illis aſſumptis magis oriuntur. Talem cauſam videntur praebere ova inſectorum, cum aëre, potu, cibo corpori ingeſta, pituitae inteſtinali, (quae magna copia in tenellis debilibuſque corporibus infantum invenitur) faecibuſque mixta; aut in cavitatibus indulantia, fotu, quiete, calore exponunt vermes, praecipue rotundos, latos, vel aſcarides, magna vero ad hos morbos in infantibus datur diſpoſitio; habetur hic primo calor, qui maxime facit ad excluſionem ovorum vermium, habetur multa muccoſitas in inteſtinis ut ibi nidum inveniant, dein voracitas in infantibus, unde nutrimentum capiunt. Efficiunt vermes innunera mala, quae intelliguntur facile ex ſupra dictis §. XXXII. Nempe ex corpore infantum tenero, dum omnia ſunt tam tenſilia, & adſunt lumbrici, qui ſe mira ratione multiplicant; & ſere omnem chylum abſumunt, hoc deficiente villos in ventriculo, & inteſtinis patentes, qui ſunt niſi arteriae exhalantes, & venae reſorbentes, & nervorum extrema, arripiunt, exſugunt, membranas ipſas & exedunt perforant, tunc non mirum irritatione, & ſuctione facta animi deliquia, miras epilepſias, aliaque Symptomata inde enaſci. Dein efficiunt conſumptione chyli eſuriem, & dum hi infantes non ſatis alimentorum accipiunt, abſurdiſſima aſſumunt ad famem ſpuriam compeſcendam: porro alvum acquirunt adſtrictam, inde tumorem abdominis, aliaque inde mala. Omnia hactenus dicta totidem ſunt ſigna; ſi infans utatur tali victu, quo vermes naſci poſſunt, & vigor oculorum non adeo vividus, nam vel ex oculis cognoſcuntur lumbrici, ſi vorax infans, ſi pruriunt nares, abdomen tumet, ſi ſomnus terrore abruptus; ſi dein macilentus fit, & aliis dignoſcuntur vermes adeſſe. Sic Cl. Boerh. Inſtitut. §. 702. dicit „ illi autem ſugen„ do, movendo, vellicando, rodendo, terebrando, chylum con„ ſumendo, nervos irritant, ſolida vulnerant, nauſeas, horro„ res, cardialgias, vomitus, animi deliquia, maciem, famem ca„ ninam, tumorem abdominis, & talia ſimilia producunt, ſic

„ idem

„ idem Vir in aphoriſm. 1364. 1365." 1366. profert. „ efficiunt
„ irritatione nauſeas, vomitus, alvi fluores, animi deliquia, pul-
„ ſus exiles, deficientes, intermittentes, pruritus narium, inſul-
„ tus epilepticos, & comſumptione chyli efficiunt eſuriem, pal-
„ lorem, debilitatem, alvum adſtrictam, inde tumorem abdomi-
„ nis, ructus, borborygmos, & quandoque poſt inteſtinorum per-
„ forationem Mors."

§. XXXVI. Porro motui ſunt inhabiles infantes, & ſomnos multum indulgent, talis ergo nimia quies fibras muſculares motui ineptas reddit, hinc debilitantur, humorum velocitas minuitur, inde inſpiſſatio, & inertia fluidorum & ſolidorum: unde illorum corpora maxime inclinant, vel ad obeſitatem, vel collectionem muci, vel muci retentionem, ut in leucophlegmaticam & pituitoſam indolem, imo aliquando in hydropem incidant, hinc optime cecinit Ovidius lib. 1. ex Ponto epiſt. 5.

Cernis, ut ignavum corrumpunt otia corpus,
Et capiant vitium, ni moveantur aquae.

uno verbo fere omnes laborant morbis, qui ex debilitate ſolidorum oriuntur, imo debilitas ipſis aliquando quaſi hereditaria, ut ſi parentes effoetum ſemen ad prolis genituram attulerint, vel ſi ipſi debiles exſtiterint, ſic non ſine ratione cecinit Horatius de IV. lib. IV.

Fortes creantur fortibus & bonis,
Eſt in juvencis, eſt in equis Patrum
Virtus: nec imbellem feroces
Progenerant aquilae columbam.

§. XXXVII. Non raro ex hac debilitate, ſive hereditaria, ſive acquiſita, obnoxii fiunt infantes morbo Rachitidi dicto, ſatis ipſis familiari, de quo Gliſſonius, Sydenham, aliiſque. Miſeri tenellique infantes hoc malo plurimum excruciantur, uti quotidiana experientia & Auctorum teſtimonia ſatis teſtantur; plerumque morbus iſte ipſos invadit, antequam duos priores complent annos, ſic Boerhavius in Aph. 1481. „ infantibus ille nonnunquam
„ connatus, raro ante nonum aetatis menſem, vix unquam poſt
„ biennium vitae, ſed ſpatio hoc medio frequens accidit. Sine
„ dubio aliquando quid hereditarii in hoc morbo adeſt, dum in-
„ fantes a parentibus lue venerea, ſcorbuto &c. inquinatis pro-

„ ge-

„ geniti." Frequentior vero obſervatur inter infantes divitum, & infimae conditionis, nam priores luxuriis diffluunt, poſteriores ex paupertate ad vitam vegetam requiſitis carent. Hinc Boerh. aph. 1482. „ maxime autem infeſtus habetur proli, cujus parentes laxa, & debili conſtitutione corporis, otioſi; molles; opipara menſa, cibis pinguibus, ſaccharatis, pauco pane, vinis dulciſſimis, & aqua multa calida, uſi; morbis chronicis, venere, aetate exhauſti, tabi imprimis venereae, & iteratis Gonorrhaeis, multum obnoxii, effaetam ferme genituram impenderunt generandis liberis"; & ſic aliquid morboſi in ſemine ſeſe diffundentis cum liberis communicarunt; unde vulgare hoc diſtichum locum tenet.

Cum patris in natos abeunt cum ſemine morbi,
Propagatque ſuum mater, ut ipſe, malum.

Caeterum infantes ſaniſſimi nati per cauſas externas breviter hic ſupputandas ad hunc morbum deduci poſſunt; aliquando dum infantes poſt biennium ad majus robur deveniunt, diſpoſitio ad hunc morbum ceſſare ſolet, ſed ſi ante ſecundi anni finem non liberantur, labes interdum per totum vitæ decurſum miſeros torquet, atque valetudinarii manent. Imo ipſa nutrix interdum cauſa eſt, praecipue, ſi uſus rerum nonnaturalium concurrit; ſi ſolida habet laxa; nutrices ſæpe præferuntur, quia lacte diffluunt, ſed habent id interdum minus elaboratum, & aquoſum, ſi tum id porrigitur, & maxima copia datur, & non interponuntur alii cibi magis roborantes, tanta inde aliquando laxitas, ut ex hac ſola cauſa Rachitis naſci poſſit. Dein ſi infans intra lintea diu frigida, & humida retineatur, huic malo anſa datur, hinc pauperum infantes ſaepius incidunt, dum linteis carent, diu in propriis faecibus relinquunt, unde ſumma laxitas inducitur Porro ſi glutinoſa edulia edentibus dantur, ut placentae, ex farina, butyro, & ſaccharo, nam talia magis deſtinata pro infantibus, interim ab his tum ob vim attenuantem ſacchari, & farinae glutinoſitatem, mucoſum, & laxitas in ſolidis producitur. Sic ſi infans diu laboraverit morbo acuto, vel chronico, & ob cacochymiam tunc ſenſim inductam. Praeterea plurimum huc facit, ſi infans a ſcabie, herpete ſuppreſſis male curatur, ſi tali laboret herpete humido, vel ſicco, per annum debet interdum promoveri; præterea corpus tenelli nunquam balneis, fomentis enervatur, quin hoc malum ſaepe patiatur, cum enim aetas infantilis tantopere in temperamentum phlegmaticum inclinet, ſi nunc exterius major adhuc fit emollitio, citius in hoc malum

lum incidunt; denique peſſimus invaluit mos, quod perpetuae quieti in ſella perforata addictus nudato inferius corpore, uti hic apud vulgum frequenter fit, dum pater, & mater ad negotia vocati in cella perforata collocatum, coercitum relinquunt. ubi aër frigidus continuo allambit, ſi minima tunc adeſt diſpoſitio, morbus invadit. Plurima quidem de hoc morbo addere poſſem, ſed praecipuis allatis cauſis, alterius ſpeculationi eum relinquo.

§. XXXVIII. Quamplurimis ſic vexatus morbis infans ſenſim ſenſimque primo ſeptenario puer evadit, dentitionis tempore adhuc perdurante variis morbis, obnoxius eſt. Menſis enim ſeptimus, ut vidimus §. XXXIV. dat primos dentes, annus vero ſeptimus eos perficit, ſed hi rurſus ſequente hoc ſeptenario ab aliis expelluntur, & qui tunc firmi reſtant ad uſum futurum totius vitae; ob hanc ergo expulſionem, & redintegrationem oriuntur aliquando, praeſertim ſi nimis imprudenter extrahuntur, dolores ſummi, inflammationes, febres, imo convulſiones inde terribiles, & quidem ob anxietatem pueris familiarem, unde vehementes animi paſſiones corpus tenelli facile ob nervoſiſſimam fabricam in convulſiones incitantes oriuntur. Accedit quod variolæ & morbilli in vitas infantum & puerorum quam maxime ſaeviant.

§. XXXIX. Morbi alii ipſis peculiares antequam Pueri jam ad annum decimum quartum ſeu ad inchoatam pubertatem accedunt, ſunt Hippocratis ſententia ſect. 3. aph. 26. „ tonſillarum inflam„ mationes, vertebrae in occipitio introrſum luxationes, aſthmata, „ calculi, lumbrici rotundi, aſcarides, verrucae penſiles, ſatyri„ aſmi, ſtrumae, & alia tubercula praecipue ante dicta; ſaepius in hac aetate obſervantur tumores varias corporis partes obſidentes, ut enim circulatio rite perficeretur, requiritur certa vis proportionata inter fluida à corde pulſa, & vaſa cedentia §. XII. Si jam vas ob copiam nimiam humorum ultra tonum extenditur, elaſticitatis gradus ad ſe reſtituendum hic neceſſarius, ipſo momento depravatur: & hinc fluida ſenſim ſenſimque accumulantur, vaſorum latera magis, & magis extenſa tument. Facile inde patet, cur tumores huic aetati tam familiares nempe ob copiam fluidorum, & debilitatem ſolidorum adhuc facile a ſe cedentium: citius adhuc in glandulis, utpote mollioribus, operoſeque laborantibus, unde tam frequentes tumores ad tonſillas, parotides, aliaſque corporis partes. Omnes vero hi morbi pro cauſa habere videntur ſolam fibrarum laxitatem, & cui conditioni, ut ad debitam extenſionem perveniat, haec aetas ob rationem ſupra

dictam §. II. ſubjecta eſt. verum enim vero quam multos varioſque morbos quis non videt fieri poſſe ob multifarios motus luſorios juveniles dies concomitantes, variis enim quotidie excitantur animi affectibus, qui ſeſe omni momento iterum exſtinguunt, & uti nubeculae in aëre volitantes eorum animam leviſſime tranſvolando titillant, unde eorum corpora puerilia nunc huc, nunc illuc ad motus luſorios excitantur.

§. XL. Saepius quoque obſervamus eos, antequam hos annos § XXXIX. complent, haemorrhagiis narium frequentiſſime obnoxios eſſe, accipiunt enim ſenſim ſenſimque magnum incrementum, ita ut copia ad nutritionem corporis ſuperflua per incrementum magis adhuc perficiendum tunc temporis tollatur: at poſt hoc tempus, auctis cauſis aſſimilatricibus, & interea incrementum corporis non tantopere perficitur, producitur hac ratione copia ſanguinis, & natura impetu a capite nondum depoſito ſibi viam quærit, & ſæpiſſime quidem per membranam narium utpote molliſſimam, & vaſa maxime patula, atque debiliſſima habentem ſe per eam a copia ſanguinis ſuperflua liberat, haemorrhagiam narium producendo, hoc ſic fieri in hac ætate confirmat dictum Hippocratis lib. 3. aph. 27. " aetate adhuc provectioribus, & ad pubertatem accedentibus, & multa ex illis, & febres diuturnae magis, & ex naribus ſanguinis fluxiones; & ſic puer, transacto ſecundo ſeptenario, multisque morbis cruciatus evadit adoleſcens, & tandem limen omnium deliciarum pandit pubertas, in quibusdam maturius, in quibusdam ſerius ſeſe prodens.

§. XLI. Adoleſcentes identidem obnoxii vivunt aliis morbis, & iis quidem, qui perſiſtunt, donec omnes partes ſatis evolutas habeant; in hac aetate ſingulares morbi, tum ratione ſexus, tum ratione corporis: primo hic de ſexu ſequiori paucis quid dicendum erit.

§. XLII. Foeminae ſi adeptae terminum ſui incrementi, id eſt, ſi partes firmiſſimae jam tam fortiter inter ſe cohaereant, ut vires communes circulationis ſuperentur a vi reſiſtente, tunc non amplius in longitudinem extendi poſſunt §. XIII. interea omnia vaſa, membranae, & fibrae in foeminis ſunt longe laxiora, unde omnes corporis cavitates, cellulae, vaſa, facilius in his replentur, & humores aggregantur, unde ſi eaedem vires pergunt conficere eandem quantitatem humoris boni, dum interim minor con-

conmittitur a corpore jam fere incrementum adepto, implentur humore vaſa, & diſtenduntur, ſic ut plethora iis inducatur, quam tamen foeminae jam viro maturae, atque foetui nutriendo aptae ſingulis fere menſibus per uterum evacuare ſolent nomine menſium, menſtruorum, catameniorum, fluxus menſtrui, hic in Virginibus potius nomine florum, nam uti fructum flos antecedit, & arborem non ſterilem, ſed faecundam indicat, ſic quoque menſes prorumpentes virginem maturam viro, ac ad concipiendum, & foetum nutriendum aptam ſtatuunt, nam incrementum nondum adeptae, nec viro maturae, foetumque nutriendo aptae, huncce fluxum caeteris paribus patiuntur, quod Hippocrates jam olim annotavit loquens de naturâ pueri ſect. 3. pag. 241. „ Simul ac genitale ſemen oritur, caro, & extrema cu-
„ ticula rarior evadit, & venulae magis quam antea aperiuntur:
„ cum enim adhuc puer eſt, venulaeque tenues exiſtunt neque
„ per eas genitura ferri poteſt, eadem ratio de menſibus virgi-
„ num, at ſimul ac menſibus, & geniturae via patet, tum pue-
„ ro, & virgini extrema cuticula rareſcente pilus in pube naſci-
„ tur, ſimulque moderatum neque pauciorem, quo alatur, hu-
„ morem habet „ Iſte vero fluxus pubertatis tempore incipiens nempe circiter ſecundo ſeptenario perdurat ad ſeptimum fere uſque, quod tamen variare videtur, prout citius, vel ſerius virgo ἀκμὴν adepta; id probe notat Hallerus in commentariis ad Celeb. Boerh. Inſtitut. tom. 5. part 2. pag. 90. & 91. „ quando men-
„ ſes decimo quarto anno in puella apparent, deficiunt quadra-
„ geſimo, ſi anno viceſimo primum prodierint, ſerius evane-
„ ſcunt, & ad quinquageſimum ſupererunt, ſi viceſimo quinto
„ demum apparuerunt: nempe hoc fit ob rationem, ut quo citius creſcit corpus, eo citius ad ſtatum deveniat, atque iterum decreſcat.

§. XLIII. Omnium horum morborum, quibus jam virgines eo tempore, quo nubiles fiunt, vel quo menſtrua evacuatio fit, obnoxiae ſunt, cauſa in eo eſt, quod menſtrua non erumpant debito tempore, vel ſuppreſſa ſint: & ex utraque hac cauſa iidem fere oriuntur effectus. Hoc tempore, incremento peracto non tanta amplius requiritur copia ſanguinis §. XLII. interim hoc corpus non ceſſat conficere tantam copiam humorum, oritur ergo plethora, quae, (ut Celeb. Boerh ſententiam ſequar) ut in Inſtitut. patet § 177. „ eſt humoris boni ea abundantia, quae fun-
„ ctiones laedit, vel ut dicit in Aph. de cogn. & cur morb. §.
„ 106. eſt ea copia ſanguinis major, quam quae ferre poſſit eas

 „ mu-

„ mutationes, quae vitae inevitabiles accidunt, niſi inducantur morbi„ & haec plethora vel ad vaſa, vel ad vires: ad vaſa ſi a nimia humorum copia ſic diſtenduntur vaſa, ut fere crepent, & functiones ſic inde laedantur: ad vires, ſi vaſa tantam in ſe continent ſanguinis abundantiam, ut haec a vi vitae non facile ferri poſſit: ſic quoque eſt univerſalis, reſpectu totius corporis, vel particularis ad partes praecipue genitales, uteri &c. quæ menſtruae evacutioni deſtinatae ſunt. Ab hac plethorâ per menſtruationem non evacuatâ omnia fere mala, quae morbos Virginum faciunt. Sanguis ergo in foeminis ſic collectus, & retentus inducit plethoram, inde ſenſim accumulato ſanguine naſcitur lentor circulationis, & a vaſorum diſtenſione, dein obſtructiones vel inertia in toto ſyſtemate vaſorum, inde tarditas, gravitas, pallor, dolor lumborum, inguinum, nam natura illuc impetum facit ad vaſa laxanda, adeo ut tandem chloroſis ſe manifeſtet: virgo hactenus ſaniſſima incrementi terminum adepta ſigna maturitatis oſtendens incipit fieri decolor, inde ad colorem flavoviridem abit, anhelat ad motum, torpet, & ſedem amat, dum ſe movet, anhelat, cor palpitat appetitus in calcem, cretam, terram, aliaque abſurda fertur: ſingulari ratione hic morbus in Syſtema nervoſum agit, praecipue in nervos, qui famis excitandae inſerviunt, id ipſum in gravidis videmus, quia ibi menſtrua ceſſant ea ſub conditione, ut foetus non omne ſuperfluum ſanguinis poſſit conſumere, naſcitur mobilitas ſyſtematis nervoſi, & miri appetitus fiunt: hinc varia mala; primo plethora adeſt, vel adfuit, inde tranſitus ad inertiam humorum, quia plethora ſic diſtendit vaſa, ut quaſi tonum amittant, tunc ergo plethorae ſupervenit tenacitas ſanguinis, & lentor circulationis, ſed inde, vitiantur omnes actiones vitales, animales, naturales, & fit itaque corruptio in aliquod acre, tum coctio deficit, inde ſi aceſcentia, aſſumuntur, acidum generatur, ſi alcaleſcentia, putridum, unde varia dira fiunt mala.

§. XLIV. Haec plethora interdum cogit naturam ad miros errores, ad ſanguinem, e variis locis inſuetis excutiendum. Ut videre eſt apud Boerh. in Aph. de cogn. & cur. Morb. §. 1286. „ ab eodem autem ſic accumulato (ſanguine) mirae ſaepe parantur viae, raris ſecretionibus menſtruis notae; dum per oculos, aures, nares, gingivas, vias ſalivae, oeſophagum, alvum, veſicam, mammas, cutim, vulnera, ulcera exire viderint medici. Vix pars corporis, e qua ſub ea conditione, dum plethora praeſens, nec poteſt tolli, niſi facta fuerit evacuatio, quae tantum pen-

pendet ex ſumma laxitate vaſorum, & impetu naturae in haec vaſa, eaque ſic dilatando, ut globulos rubros transmittant: tales enim caſus innumeri apud obſervatores leguntur. Alias dum natura reſiſtentiam in vaſis uterinis ſuperare non poteſt, impetum in alia loca facit aeque reſiſtentia, ubi tum fiunt congeſtiones, tumores, inflammationes &c. aliquando natura ſe plethora liberare non potens, dum corpus eſt laxius, onus ſuum non amplius curat, nec ad evacuationem diſponit, tum plethora ſenſim augetur, oneroſa vaſis ea diſtendit, tono deſtituit, inertia reddit, ergo actio vaſorum in humores §. XII. deficit, circulatio lenteſcit, & omnes actiones a vegeta circulatione dependentes vitiantur, inde primum fundamentum cacochymiae, jam vitiatae inducuntur qualitates humoribus, lentor, viſciditas, quibus acrimonia varia ſe jungit; & ex his omnes virginum morbi deducuntur, plethora enim ad minimum ad vires naſcitur, inde cacochymia, cachexia, chloroſis dicta ex decolore habitu, & inde pallor virginum.

§. XLV. Vaſis, viſceribusque ita labefactatis ultimo plerumque etiam in nervos vehementer agit, qui in foeminis mobiliores, unde hic furor uterinus oriri poſſet, nam ſanguis craſſus in ea loca impulſus facile producit obſtructiones, quibus natis fit diſtenſio vaſorum, nervi ibi patentes etiam diſtenduntur: unde ſpasmi, dolores interdum enormes, imo aliquando in remotioribus corporis partibus ob communicationem nervorum, nam uterus ut & alia viſcera nervos habet a nervo intercoſtali, & pari vago, ſic quoque ramos a nervis lumbaribus, & oſſe ſacro, unde ob talem communicationem nervis hic a ſanguine diſtentis ſaepe dolores, ſpaſmi vehementes, in variis partibus producuntur; imo aliquando nauſeae, vomitus, dolor capitis, & infinita alia mala; nam per nervos ſic compreſſos liquidum ſubtiliſſimum, medicis nerveum dictum ad alia corporis loca majori copia depellitur, inde iſti motus liquidi nervei inordinati oriri videntur; nec obſcura eſt ratio cur ſpaſmi, convulſiones in varias corporis partes ruentes inde oriantur; imo cur ſaepius ſpaſmi, paſſionesque hyſtericae inde ſuam originem ducant, nam iſti ſpaſmi praeternaturales ſemper obſervantur; ſi liquidum nerveum ſic in canalis aperturam impetuoſius & copioſius influat, ut inde fiat contractio, quâ cavum hujus vaſis imminuatur.

§. XLVI. Sunt morbi in maſculo, qui ſpectant partes genitales, inprimis eo tempore, quo ſemen generari incipit, fiunt

ex eo, quod ſubita mutatio in partibus nondum aſſuetis ſingulari huic ſecretioni, nec circulationi, quae hic mutatur, unde varii morbi naſcuntur; nam in hac aetate incipit partium genitalium plenaria evolutio, dum maſculus majorem impetum humorum in teſticulos ſentit; incipit ſecretio ſingularis humoris, cui vaſa hactenus non aſſueta, ſingularia hic oriuntur mala, ex ſe facillimæ curationis; imo impetus iſte major quidem eſt tempore verno, quo propius accedente ſole, omnibus partibus major vigor inſpiratur, inde non raro tumores, inflammationes teſticulorum, ſuppurationes, refrigerantibus, purgantibus, impetum humorum minuentibus, aut aliorſum deducentibus, & externis lenibus aromaticis &c. curandae: Praeterea eo tempore fiunt inſignes mutationes in toto corpore, videtur quo tempore incipit ſemen confici, & continendum datur veſiculis, de ſingulari illo animato aliquid in ſanguinem circumduci, & per univerſum corpus diffundi, quia in univerſo corpore mutationes videmus, naſcituras nunquam, niſi matureſceret adoleſcens: eo tempore vox fit gravior, & varii oriuntur animi affectus, barba, & crines in diverſis locis erumpunt: imo corporis robur, & judicium quoque fit majus, aptiorque ad quaedam negotia peragenda diſpoſitio.

§. XLVII. Hiſce temporibus, dum tam ſingulares mutationes, morbi ſingulares hic naſci poſſunt. Licet in hoc ſemine nulla acrimonia adſit, ſed iſte liquor ſeminalis, quem organa genitalia maris generant, viſcidus, blandus naturae eſt liquor; ſed quantae mutationes inducuntur, quando ſemen incipit propagari, & quam incoërcibiles ſtimulos producat viſcidum illud ſemen, dum ejus copia ingens eſt, jam antea §. XLVI. patuit: Videmus naturam ad omnia, quae requiruntur ad ſanitatem & vitam, tum ad propagationem dediſſe ſtimulum quendam quaſi imperantem. Sic per appetitum cogimur ad cibos aſſumendos, eadem ratione natura proſpexit propagationi, verum nimia ejus excretio triſtia mala poſt ſe trahit.

§. XLVIII. Nimia vero excretio facit perpetuum ad Venerem ſtimulum, adeo ut noctu etiam pollutiones nocturnas habeant; hinc ipſis (dicit Hallerus in inſt. Boerh.) „ adeſt grata, ſed fallax „ Venus, & eorum animus ad ea ſacra continuo praeparatus „: nam quemadmodum homo nimium venae ſectioni aſſuefieri poteſt, eadem ratione, quo plus excretioni ſe dat, tanto major fit excretionis conſuetudo, ut vel invitus cogatur ad eam: hinc

quo

quo ſemen excernitur magis, eo magis fit ſeminis affluxus, & quandoque involuntaria excretio, & quia ſeminis excretio tanta cum voluptate perficitur, hinc mens eo fertur, & imaginatio aliquid contrahit melancholici, quod facit, ut eas ideas amittere nequeat, hinc ipſa ratio perturbatur, & eo usque producetur, ut ad mortem hominem conſequatur, ſic in aliis contingit, ut laxentur vincula, & tunc tam noctu, quam interdiu pollutionibus iſtis ſubjiciuntur.

§. XLIX. Nulla eſt excretio, quae magis ſyſtema nerveum afficit, quam ea ſeminis, hinc vires proſternuntur, aeque, ac ſi homo laboribus magnis fractus fuiſſet: hinc ſeminalem liquorem nerveum eſſe concluſerunt alii, quod tamen non ſatis probabile, ſed potius fieri videtur, quod corpus nimis agitetur, nam ob violentam concuſſionem, & convulſionem concuſſivam ſaepius peractam omne ſyſtema nervoſum tunc debiliatur, nam ſub ipſa ejaculatione ſeminis totum corpus concutitur, unde Veteres brevem Epilepſiam vocavere. Non ſolum nocet ſyſtemati nervoſo, ſed omnibus actionibus aeque naturalibus, vitalibus, ac animalibus, nam vires ventriculi, inteſtinorum labaſcunt, hinc coctio depravatur, ſenſus externi hebetantur, inter quos praecipue viſus, & tandem univerſum ſyſtema ſenſorium, ut fatui inde fiant: ſic dicit Hallerus in Inſt. Boerh. „ oculi ipſi qui in amore ſcintillant, atrophia nervi ſui „ affecti hebeſcunt, ut facultatem videndi amittant: & ſic non ſine ratione huc accenſere poſſumus effuſam venerem, immodicos, & diu iteratos coitus, & ſaepius illicitas nefariasque manuſtuprationes: unde ſi ita loqui liceat, deficiente oleo lumborum, ſive cum ſanguine mediante genitura, jam exhauſto ſucco illo nutritio tabes dorſalis tandem enaſcitur; dicit enim Hipp. lib. 2. de morbis „ Tabes dorſalis a medulla oritur, maxime autem re- „ cens nuptos, & libidinoſos concipit, ſine febre ſunt, bene co- „ medunt, & contabeſcunt, quod ſi affectum perconteris, di- „ cit, ſibi videri ex ſuperioribus partibus a capite velut formi- „ cas ſecundum ſpinam deſcendere; quumque urinam, aut al- „ vum reddit, prodit ipſi ſemen copioſum, & liquidum, neque „ genitura intus concipitur, & in ſomnis, cum uxore dormiat, „ nec ne, ſemen profundit; quumque tum alias, tum praecipue „ per locum arduum iter fecerit, aut cucurrerit, anhelatio, & „ debilitas ipſum prehendit, & capitis gravitas, & aures ſonant. „ Hic temporis progreſſu vehementibus febribus correptus perit „ ex lipyria febre: ſimilia refert Celeberr. H. Boerh. Inſt. §. „ 776. Seminis excretio nimia facit laſſitudinem, debilitatem,

„ im-

„ immobilitatem: convulſionem; maciem; ſiccitatem; membra-
„ narum cerebri dolores, calores; ſenſuum, maxime viſus, hebe-
„ tudinem; tabem dorſalem, fatuitatem, varios his affines mor-
„ bos. „ Ubi ad hanc tabem dorſalem pervenerunt, conclamatum fere tum cum illis eſt, & immedicabile malum habetur, nam opem ex Medicina vix ullam exſpectare poſſunt. Haec vero effecta inde produci videntur, quoniam maſſa ſanguinea non magis vegetatur ab humore ſeminali, qui ex ejus organis per venas bibulas in maſſam ſanguineam in caſtioribus reſorbetur & miſcetur humoribus noſtris perpetuo, ut patuit §. XLVI. ſed ut generatur, excernitur, hinc viri quaſi effœminantur, & malum in actiones naturales, vitales, & animales tranſit; ſed eſt tamen inter homines eatenus mira diſcrepatio, ſi vires ſpectamus, ut quod alteri nimium eſt, id alteri tantum luſus ſit.

§. L. E contrario nimia continentia tuta non eſt: nam ut nimia excretio ſeminis plures morbos producit, ſic & nimia ejus retentio plurima mala profert, ſed tamen ſunt rariora, quia natura ſe plerumque per pollutiones nocturnas a copia ſuperflua liberat, tamen fieri poteſt praeſertim in hominibus robuſtioribus, in his ſemine accumulato, vaſa diſtenduntur, ſic aliquando, ut in herniam varicoſam incidant, uti patet in Chirurgia Cel. Heiſteri cap. 126. imo interdum hinc tumores teſtium inflammationes, ſuppurationes, aliaque mala non raro oriuntur: imo ex inde interdum in herniam ſic dictam carnoſam, potius ſpermaticam, incidunt, ut patet ex ſcriptis in annotationibus Clariſſ. H. Ulhoorn ad eundem Heiſterum capit. 5 pag. 323. litt. F. & capite 120. pag. 937. ad 942. peſſimum quoque oritur, malum dum ſub actu venereo ſemen retinetur: exemplum in Juvene, qui incidit in talem herniam ſpermaticam vel carnoſam apud G. F. Hildanum in obſervationibus Chirurgicis Centuria IV Obſerv. LXIV. Exempl. I. ubi dicit „ Ge-
„ neroſus quidam Juvenis, cum Amaſiam ſuam amplecteretur,
„ atque cum ipſa in actu venereo eſſet, & jam ſemen ejaculari
„ vellet à quodam in cubiculum ingrediente in actu ita deturba-
„ tus fuit, ut ſemen retroceſſerit, retentumque fuerit, quapropter
„ dolor in inguine exortus eſt, & teſticuli intumuerunt. cum
„ vero morbum propter verecundiam celaſſet, dolor in ſiniſtro
„ inguine paulatim per ſe remiſit, intumefactio evanuit, & te-
„ ſticulus ad naturalem ſtatum rediit, circa dextrum vero tumor
„ remanſit, qui ſucceſſu temporis in ingentem herniam carnoſam
„ excrevit. Ego cum aliis medicis in conſilium tandem adhibitus
„ non ſolum carnem circa dextrum teſticulum concretam, verum
„ etiam ſcrotum ſeroſis humoribus ita extenſum reperi, ut magni-

„ tu-

„ tudinem capitis infantis fere adaequaret." Fit enim continuo ſecretio ſeminis e ſanguine, ſi jam vi continentiae nulla fit excretio veſiculae ſeminales tandem obrutae ſemine, diſtenduntur, & hinc vaſa deferentia tandem quoque obſtructa diſtenta tument, inde magnus dolor in partibus vicinis oritur; & dum continuo eadem copia ſeminis ſecernitur è ſanguine affluente, & nulla jam patente via, vaſa ſuperiora diſtenduntur, & dolores intolerabiles inde enaſcuntur in lumbis, ubi vaſa ſpermatica originem capiunt, atrociſſimis nephriticis haud inferiores, nauſeae, vomitus, ſingultus, convulſiones, imo mors inopinata: vel ſi malum diu perdurat, tunc a diſtenſione vel a compreſſione vaſa debilia ſpermatica, & facile deſtructibilia deſtruuntur, degenerant, & cohaerent, coaleſcunt, ſic ut unum magnum corpus efforment, quod primo in ſcirrhum, dein in cancrum tranſit, & miſer plerumque, exſtirpatione non ſatis cito peractâ, morti ſubjicitur; hinc

Mille modis lethi miſeros mors una fatigat.

Morbi hi in adoleſcentia non ſolum, ſed quoque in aliis aetatibus locum ſervant. Videamus jam porro adoleſcenti, antequam juvenis fit, quid accidat.

§. LI. Adoleſcens adhuc incautus, continuo ſibi diffidens, imo ejus vultus, greſſus, lingua, omnes adhuc dum titubant, atque vacillant, ſic ut ad aliorum dicta fugacibus pedibus aſſiduo ventiletur, ſed creſcente jam corpore non amplius a levi cauſa tam fugax, atque vacillans fit Juvenis mente, & corpore conſtantior, imo muſculis accedit robur, & vigor maſculeſcens in pectore ſe prodit, Judicium, prudentia fit major, & homo, qui ſibi ſoli hucuſque vixit, incipit jam judicio, & corpore maturus vivere aliis; quae Juventus incipere videtur anno decimo octavo, vel vigeſimo, atque protrahitur ad annum vigeſimum quintum, vel trigeſimum, & tunc fit Vir, ſive adultus; tamen homo vigeſimo quinto anno adultus vocari poteſt ob rationem ſuperius dictam §. V. quia tunc non amplius, caeteris paribus, creſcit, ſed perſtare videtur. Sed quantus morborum numerus hic iterum eos non laceſſit! incipit enim ſenſim aequilibrium inter ſolida, & fluida, omnia ad debitum terminum fere explicata ſunt; unde humores in caſſum conantur ultra partes diſtendere, & ad majus incrementum deducere, quid ergo fit? naſcitur inde a vaſis roboratis, & liberiori circulatione validior motus humorum, unde minimo abuſu rerum non naturalium accedente, quo circuitus ſanguinis plerum-

que nimis acceleratur, tam facile in febres alioſque morbos acutos proni redduntur; effectuſque, qui ab iſto exceſſu motus circulatorii ſequuntur, facile intelligi poſſunt, quae ſcribit Cel. Boerh. in libro de cogn. & curand. morb. aph. 100.

§. LII. Dein & natura, quae ſuperfluos humores ad majus incrementum produxerat, ea ideo, incremento facto, non ceſſat humorum abundantiam generare; ergo tum vaſa praecipue ſi nondum ſatis roborata, a plethora diſtenduntur, hinc eo tempore levis cauſa rarefaciens, vel vaſis vim inferens, ſeu evacuatio quaecunque ſolita, ut haemorrhagia narium &c. ſatis frequens in adoleſcentibus. §. XL. jam ſuppreſſa facit & diſtenſionem, vel ruptionem humorum, humores ſani effunduntur, & haemorrhagiae, haemopthyſes praecipue, & peſſimae inde ſequelae, nempe pthtiſica labes, inde producuntur, nam à ſanguinis vomitione tabes, dicit Hippocrates Sect. 7. Aph. 78. & hi ſunt praecipui aetatis juvenilis morbi, confirmante hoc iterum Hippocrate Sect. 3. Aph. 29. „ Juvenibus autem ſanguinis ſpuitiones, tabes, febres acutae maxime familiares „. Sic & Boerhaave in libr. de cogn. & morb. aph. 1198. „ haemoptoë plerumque oritur „ in ea aetate, quâ vaſa incrementi apicem adepta, ulteriori „ productioni ſuae reſiſtunt, dum interim ſanguinis augetur copia, acrimonia, impetus; adeoque intra 16 & 36. aetatis annum. Ejusdem ſententiae eſt Magnus Sydenhamus Sect. 6. Cap. 7. de haemoptoe „ quod in aeſtatis, ac veris confinio homines calidioris temperamenti, at minus robuſti, adoriatur, & „ quorum pulmones minus recte valent, prae ſenibus item Juniores." Nam Juvenes in iſtos morbos maxime proni, ut copia ſanguinis diffluentes valida exercitia continuo inſtituunt, nec minus tenuem diaetam ſervant, unde de tali periculoſo ſtatu jam olim dixit Oribaſius in libro de ratione victus „ quum corpus ſatis „ magnum incrementum ſumpſerit, non mediocriter timendum „ eſt, ne aequalis omnium humorum abundantia redundet in „ corpore; & morbi, qui ex plenitudine effici conſuerunt, o„ riantur. Imo huic fato plerumque ſubjiciuntur Juvenes, praecipue ſi corpus eſt figuratum ad haemoptyſin, ut ſi gaudet vaſis tenerrimis, collo longo, thorace plano, & anguſto, ſcapulis depreſſis, vel ſi adeſt tenuitas cum floriditate ſanguinis, quam plerumque obſervamus in iſtis juvenibus ad haemoptyſin praedispoſitis; non enim ſciri poteſt, a quibus conditionibus producatur: quae in juvenibus formoſiſſimis eſt illa, in qua diſpoſitio ad haemoptoën labe quadam propagata hereditaria, ubi forte

te in ſolidis, & liquidis aliquid peccat, in liquidis tenuitas, & acrimonia, in ſolidis vaſa tenerrima, ut ſanguis magis pelluceat, unde iſti juvenes inter reliquos videntur eſſe ſaniſſimi, & formoſiſſimi: forte haec eſt illa conſtitutio, quae facit in Virginibus aliis in locis fieri evacuationes menſtruas, quia ſanguis tam tenuis, ut facile, dum praeterea laxitas accedit, alia vaſa ingrediens ea diſtendat, atque deſtruat: hinc patet, quod huic fato caeteris paribus plerumque ſubjiciantur juvenes atque Virgines ſanguinem valde rutilum, tenuem, diſſolutum, acrem, calidum habentes, atque colore valde candido, & amoeno, roſeo, cute pellucida, hilaritate, & ſubtilitate praecocis ingenii gaudentes; ſic ut formoſiſſimo habitu eſſe videantur, ſed quam ſubito, minima cauſa diſſolutionem producente inductâ, pulcherrima iſta dona non evaneſcunt! color roſeus, candidus, & amoenus vertitur tum in pallorem, hilaritas in melancholiam; & ſic tandem omnes actiones antea agiliſſimae labe phthiſica inducta, ſenſim delentur, aliquando tales juvenes, utpote majori ingenio praediti. §. LI. profundis meditationibus inhaerentes in tabem incidunt, vel ſi ad ſtudia immodica ſe nimis diu applicant, ſic ut vigiliae protrahantur, unde vitales, & naturales langueſcunt functiones. Sanctorius §. 4. aph. 48. hinc Poëta.

Si pallere cupis, & contabeſcere morbo,
Et vulgo fieri fabula longa, ſtude.

Pari ratione animi affectus in iis hic aliquando nimis validi ſunt; unde corpus debilitatur, nam animi affectus & curae corpus depaſcuntur, unde eleganter Ovidius Metam. lib. 3.

Attenuant vigiles corpus miſerabile curae;
Adducitque cutim macies; & in aëra ſuccus
Corporis omnis abit; vox tantum atque oſſa ſuperſunt.

Hinc ergo ex dictis non mirum tot juvenes in vigore aetatis deficere, praematura morte decedere, ut plurimum lenta tabe confectos; ſuperſtites autem ſtudiis curiſve enervatos exhauſtoſve canitiem, fata ſenilia, adeoque mortem accelerare, ita vario tempore variis modis exſtinguitur vita humana, hinc Poëta.

Omnibus eſt eadem lethi via: non tamen unus
Eſt vitae cunctis, exitiique modus.
Hac pueri atque ſenes, pariter juvenesque ferentur.
Hac par divitibus pauper egenus erit.

CAPUT SECUNDUM.

De ſtatu corporis, & morbis tum magis propriis.

§. LIII.

Ad ſtatum perveniſſe hominem diximus, ſi non amplius in longitudinem creſcat §. XIII. qui ſtatus obtinet anno 25to. ut §. V. & LI. Corpus humanum vero conſtat ex ſolidis & fluidis §. II. ſolida duplici ratione agunt, primo reſiſtentia, ſecundo contractione §. XII., quoniam ſolidum debet coërcere fluidum, inde in ſolido niſus requiritur, quo reſiſtat contento fluido, fluidum ſolido coërcitum habet nixum perpetuum ad elabendum, effugium debent impedire ſolida, impediunt, vero factâ reſiſtentia, haec ex eo, quod elementa partem conſtituentia §. VI. certo niſu conſpirent in cohaeſionem, vel mutuo quaſi amore inter ſe ruere in eam conentur §. VIII. dicit enim Celeberr. Muſſchenbroekius Exper. Phyſic. in introduct. ad cohaerent. corp firm. cap. 1. „ quod omne corpus „ ſive ſolidum, ſive fluidum immediate alteri ſolido, vel fluido „ applicatum in vacuo cohaereat, in exigua ab altero diſtantia „ minus cohaereat, tamen verſus alterum dirigatur, & ſi poteſt, „ moveatur, in majori autem intervallo non cohaereat, neque „ ſenſibiliter dirigatur, vel moveatur, ” ſimilia profert Clariſſ. s'Graveſande libr. 1. phyſ. Elem. Math. cap. 5. parag. 72. „ Cohaeſionis lex peculiaris eſt omnes particulas vi attractiva gau„ dere, ideſt, ſi vicinae fuerint, ſponte ad ſe mutuo tendunt; „ cujus motus cauſa nos latet, ſed cum motum hunc generaliter „ locum habere obſervamus, & huic particulae omnes ſubjiciun„ tur, ipſum inter leges naturae referimus: ” Sed non modo reſiſtunt ſolida, verum etiam motum debent imprimere fluidis §. XII. dum paries vaſis diſtractus ab impulſo liquido reſiſtit, inde dum cauſa diſtrahens ceſſavit, ſi non ſuperaddita eſſet vis, jam novum motum faciens, fluidum & ſolidum quieſcerent, & mors obti-

obtineret §. XII. ſed Auctor naturae vim contractilem addidit, quâ fit, ut, diſtractione parietis vaſculoſi facta, elementa diſtenta nitantur in priſtinos contactus recurrere, & recurrant quoque, ſic ſe non tantum reducant, ſed repellant etiam liquida ea, quibus parietes ante impulſi, hinc ergo continuo fit actio, & reactio, id eſt ſolida continuo agunt in fluida, & fluida in ſolida §. XII idque in univerſo motu circulatorio. Proſpexit hic natura ſecretionibus, redintegrationique intenta pacatiori motu multiplicando in immenſum ramos, ſpatium compoſitum ſenſim augendo, ita ut area, quam diametri vaſorum ſimul ſumptae conſtituunt, eo major fiat, quo longius a corde receditur: unde motus in arteriis verſus extrema continuo retardatur, in venis autem verſus cor acceleratur, idque in his ob neceſſitatem miſcelae & evitandi coaguli; nihilominus ubi arteriae in venas abeunt, anguſtia ſua fluido propellendo reſiſtentiam faciunt, ita ut globuli ex arteriis in venas tranſituri in figuram oblongam, ovalem extendantur mox ſphaericam liberius ſpatium nacti recuperaturi, ut microſcopiis in animalibus pellucidis fieri obſervatur. Hinc regula hydraulicorum arteriis, licet conoideis, ob rationem dictam omni ſenſu applicari nequit, quae hujus tenoris eſt: „ Si movetur fluidum in canali conico à baſi ad apicem a cauſa aequali pulſum, „ fluet motu ſemper accelerato verſus apicem, cum aequales quantitates fluidorum, per coni ſegmenta aequalia, quae inaequalis altitudinis ſunt, tranſeunt." Vid. Cl. Muſſchenbroek. Elem. Phyſ. §. 369. Motus vero iſte in arteriis originem ducit a contractione cordis, quem elater arteriarum ſeu contractio, preſſiones partium circumpoſitarum maxime juvat; ſuum quoque contribuit conica figura reſiſtentias in mole per ſingulos canales minuendo. Contrarium in venis obtinet; ad fluidum per eas movendum cauſam motricem ab arteriis accipiunt, quae etiam in cadavere per aliquot à morte dies perſeverat ſanguinem in venas propellendo, hinc arteriae fere vacuae, venae, autem ſanguine plenae deprehenduntur. Hoc phænomeno decepti veteres aërem in arteriis contineri putarunt.

§. LIV. Hoc ſanguinis circuitu, jam ſaepius peracto, corpus humanum, in prima origine a fluido vix diſcrepans, §. I. ſenſim ſenſimque ſuum robur acquiſivit, imo ſolida iſtam actionem §. LIII. tandem ſic roborantur, ut non amplius a fluidis vi cordis motis in longitudinem diſtendantur, uti fit in incremento §. XIII. ſed motui humorum reſiſtentiam praebent, ut inde ſenſim aequilibrium inter humores, & ſolida in corpore locum obtineat; nam

ut in ſemine plantae fructifero terrae mandato tota arbor, quae ſenſim ſe explicat, convoluta jacet §. V. ſimiliter in corpore humano, ubi in initio quamplurima vaſa inter ſe convoluta poſtea explicanda exiſtunt §. II. unde vaſis intortis, & convolutis continuo fit reſiſtentia humoribus vi cordis per iſta vaſa movendis, liquida enim mota ſemper conantur diſtendere vaſa juxta longitudinem §. XIII. hinc quamdiu vaſa a liquidis vi cordis motis diſtendi poſſunt, id eſt ſi reſiſtentia non tam magna, ut vim liquidorum elidere poſſit, creſcit homo, ſed per eundem motum ſenſim explicantur omnia vaſa, hinc omnibus explicatis, atque evolutis fit tandem liberrima circulatio, cujus ope ſolida tandem ſuum requiſitum robur adipiſcuntur, ut elidant vim liquidorum à corde motorum; nam quo vis cordis major eſt, vel diutius egit, eo pauciora numero vaſa, ſed fortiora ſolida ſunt, dicit Cel. G. van Swieten in aph. Boerh. tom. I. pag. 50. Hinc evidens eſt, quod, dum reſiſtentia major reddita, ſolida non amplius in longitudinem producantur §. XIII, ſed aequilibrentur viribus liquidorum, ergo tunc temporis vaſa maxime in aequilibrio cum ſuis humoribus, hic ergo vita & ſanitas in ſtatu perfectiſſimo; Unde Celſus dicit „ AEtas media tutiſſima eſt, quia nec juventae calore, nec ſe- „ nectutis frigore infeſtatur „ Verum enim vero quum nulla aetas in ſe tuta eſſe videtur, & iſta aetas jam in medio ſtans, eo magis ad morbos acutos & chronicos inclinat, quo propinquius annis & natura ad hanc illamve aetatem quiſque homo vergat. Hinc dicit Hippocrates de morbis „ iſtud enim probe noſſe con- „ venit, hominem prima aetate in omni vita eſſe calidiſſimnm, „ poſtrema vero frigidiſſimum: ſiquidem quod augeſcit corpus, „ & ad robur tendit, calidum eſſe, neceſſe eſt, at ubi marceſ- „ cere, & ad exitium praecipitare coeperit, frigidius evadit. „ Atque hac ratione, quo magis his primis diebus homo in- „ creſcit, eo calidior evadit, & quanto magis ultimis diebus „ marceſcit, tanto frigidiorem eſſe neceſſe eſt."

§. LV. In illis jam adultis hominibus, id eſt, in iis, qui ad ſtatum pervenerunt, ſolida robuſta §. LIV. humores denſi, & compacti, atque humores fortius in ſolida, & ſolida fortius in fluida agunt §. LI. perfectum inter haec datur aequilibrium LIV inde motu humorum validiori, & reſiſtentia magna vaſorum major attritus, robur majus, & inde facilis proclivitas in omne morborum acutorum genus, qui ab humoribus inflammatoriis, & ſtrictis vaſis oriuntur, praecipue peripneumonia, pleuritis, febres ardentes, & alia mala, quod quoque Hippocrates jam olim confir-

firmavit aph. 30. Lect 3. ,, ultra hanc aetatem (nempe Juventu-
,, tem) provectis aſthmata, pleuritides, peripneumoniae, lethargi,
,, phrenitides, ardentes febres, duiturna alvi profluvia, chole-
,, rae, dyſenteriae, lienteriae, haemorrhoides." Eo tempore mens & corpus omnibus operationibus viget, & homo tales actiones continuo exercet, quae ipſum ad majorem calorem deducunt; unde origo morborum acutorum, & chronicorum in his ſatis in-intelligi poſſunt. Porro notandum, quod hic quidam morbi ſupra relicti §. XLV. utpote huic vitae ſtadio maxime proprii ſeſe proferunt.

§. LVI. Ut Auctor naturae compenſaret vitae brevitatem, fecit, ut idem id corpus, quod ſe conſervare non poteſt, generet aliud corpus ſui ſimile, ut dum individuum ſervari non poteſt, ſervetur tamen ſpecies. Hinc ergo occurrunt quaedam actiones ad generationis opus, in viro hic concurrunt iſtae, quae faciunt ad ſeminis ſecretionem, maturationem, & ejaculationem §. XLVI. ad §. L. in foeminis hic ſeſe offerunt omnia, quae contribuunt ad foetus evolutionem, incrementum, & ulteriorem ſuſtentationem extra uterum, dein in ſexu maſculino minoris ſunt conſiderationis caeteris paribus, quam in foeminino: in foeminis plurimae partes huc facientes, & totum corpus foeminae utcunque aliam habet diſpoſitionem corporis ad hoc opus: hinc ſi quaedam actiones in hac claſſe deficiunt, totum corpus patitur, patet ex menſtruis, quae ideo data, ut apta foret foemina ad ſuſtentandam prolem, dum non fluunt, quam dira inde mala §. LII. ad §. LVI. Ergo hic non immerito addere licebit, quoſdam morbos foeminis praecipue in ſtatu vitae viventibus familiares, ut ſunt graviditas, partus, ſtatus puerperii &c. 1°. itaque ſequitur ſtatus gravidarum quarum morbi ſunt illi, qui eas geſtationis tempore ex hac cauſa infeſtant: ſingulares hic iterum morbi, & horum ingens diverſitas.

§. LVII. Primo in initio graviditatis ſupprimuntur menſtrua; foetus hoc tempore adhuc parvus, ut quantitatem ſanguinis, quae hucuſque omni menſe §. LII. evacuabatur, hoc tempore omnem non conſumat, ſed & ipſa vaſa, quae diſtendi debent, reſiſtunt diſtenſioni, multum enim diſtendi debet uterus, quod vaſa non facile ferunt, inde reſiſtentia; quid porro. Foemina laborat eo tempore, donec vaſa aſſidua diſtenſione plus ſanguinis ferant; foemina tum laborat vitiis, quibus virgo §. LII. ad LVI. Sed ea differentia, niſi hi morbi pervertantur, quod fere cum

geſta-

geſtationis tempore evaneſcant, inde nauſeae, vomitus, horrores, mirabiles appetitus rerum etiam abſurdiſſimarum ſummo cum animi pathemate, & crederemus, quod omnia illa molimina, & ſymptomata, quibus foemina eo tempore objicitur, ex eo fonte exoriantur, dum natura vult praecavere plethoram, ne de novo augeatur, & corpore moleſta fiat: videmus interdum gravidas nil appetere, quaſi natura plethoram vellet imminuere, vel cavere, ne accreſceret; vel ſi quid ingerunt, iterum ejiciunt, craſſiori nutrimento non eget eo tempore, ſed ſubtiliori, unde natura ingeſta tamdiu relinquit, donec ſubtiliora educta, ſed craſſiores partes reſpuit natura, ne chyli craſſioris copia major naſcatur, ejicit aſſumpta, vel talia appetit; quae nil nutrimenti habent, ut corpus inde novam materiem pro ſanguine parare nequeat. Ergo a ſanguine ſic collecto videtur pendere nauſea, vomitus, depravatus appetitus; omnia haec tantum ex plethora, & ſimilia iis, quae ex menſtruis ſuppreſſis in virginibus §. LII. ad LVI. Et cauſa hic eadem, quia foetus non poteſt omnem plethoram conſumere, & corpus, gravidae ſanum eſt, ſic auget plethoram, hinc natura talia ſymptomata facit per ſyſtema nerveum, per quae praecavet, ne, plethora accumulata, adhuc pejora mala naſcantur; maxima, quae ſentiunt primo, ſymptomata, ſunt directa ad aſſumptionem parcioris alimenti, vel talis, quod non multum nutritii habet, hinc nauſeae, appetitus proſtratus &c. (ut jam dixi ſupra) quaſi natura ſciret, adeſſe plethoram, quæ ſi eadem adhuc alimenta capiantur, plus augeretur; corpus hoc tempore non opus habet majori copia ſanguinis, hinc appetitus adeo depravatus, vel fertur in ea, ex quibus nil nutritii fieri poteſt; & dum variis repleverunt ventriculum, paulo poſt evomunt; acſi natura vellet partem ſpirituoſam exſugere ex alimento, cavere autem, ne chylus inde factus deductus in ſanguinem plethoram augeat; ſic quoque fiunt dolores magni, ſtomachi, pectinis, inguinum &c. quia ſanguis majori copia congeſtus impetum facit in partes, è quibus naturaliter erumpebat hinc ſimilia patiuntur, ac ſi mox futura menſtrua: Dum dolores tales ad has partes ex diſtenſione vaſorum, & natura conatur vaſa perrumpere; ſupervenit aliquando abortus, dum impetus tam immanis, ut foetus utero adhaereſcens inde decutiatur, abortus una cauſa eſt abundantia ſanguinis; ſunt & aliae cauſae externae, alias etiam fibrae tanta debilitas, ut dum gravior foetus; illum ſuſtinere nequeant.

§. LVIII.

§. LVIII. Secundo. Medio geſtationis tempore uterus ante parvae molis jam contento foetu, & vaſis dilatatis, & diſtentis ob utramque hanc molem inſigniter auctus in abdomen aſſurgit, hinc compreſſae vicinae partes quoad vaſa arterioſa, & venoſa: inde maxima mutatio; aequilibrium inter partes turbatur, centro gravitatis mutatur, inde facile labuntur foeminae, unde multa pericula, ſed inde omnes actiones partium diſtentarum, vel compreſſarum turbantur, ſi ita ſingulas partes examinando percurramus, vitia plurima emergent; talis vero ad lapſus proclivitas oritur ob aequilibrium turbatum.

§. LIX. Tertio. In fine geſtationis tum foetus ſe obvertit, & dum hucusque abdomen omnino turgidum, adeo imminuitur, ut graviditas fere diſpareat, caput pronum cadit verſus orificium uteri, & omne onus in pelvi ſe denuo colligit, diſpoſitio fit ad exitum foetus; in anguſtiori loco haeret inter inteſtinum rectum, & veſicam, his gravior incumbit, ut perpetuus ab irritante, & ſe movente foetu teneſmus urinae, & faecum, dum tamen vix quidquam excernitur; vel urethra, & inteſtinum rectum comprimitur: ut nil excerni poſſit; ſic ut plenaria oriatur iſchuria, aliquando faeces alvinae ſic quoque accumulantur, ut inteſtinum coecum maxima parte impleatur, alias haemorrhoides, & varices naſcuntur, quia vaſis compreſſis humores ab inferioribus redire non poſſunt, hinc in venis haemorrhoidalibus ſtagnantes, itidem varices oboriuntur: labia uterina quoque aliquando inflantur ob communicationem vaſorum cum vaſis uterinis; hinc inſtanti partus tempore fit ſecretio muci aquoſi blandi, qui emollit has partes, & ad partum diſponit, aliquando eſt tam magna. ut ſpeciem fluoris albi adeſſe credatur, interdum autem ob animi affectus vehementes, vel motus corporis nimios & infinita alia, oritur periculoſiſſimus morbus, nempe fluxus uterini ſanguinis & foetui & matri ſubinde cito funeſtus dum vaſa uterina foetu adhuc praeſente aperiuntur, nec à placenta amplius illorum orificia ita teguntur; ut impetus huc ruentium humorum frangatur; ſed dum ſeparata placenta, & orificia aperta ſunt, tum pleno rivo totius fere corporis ſanguis exit; dum gravida eſt foemina copioſiſſima adfertur foetui materies nutritia, unde tam mira eo tempore vaſorum dilatatio; ſi cogitamus vaſa eſſe laxiſſima, tono deſtituta, nilque effluxui obſtare, placentam ab utero ſeparari, foetum cum ea non excludi, uterum inde ſe contrahere non poſſe, facile concipimus copiam humorum per apertiſſima vaſa excuti, ut totum corpus tandem exhauriatur, unde ſtatus peticuloſiſſimus:

Foetus dein in his auguſtiis conſtitutus non tantum amplius ſanguinis conſumit, vaſa uterina, & placentae emarceſcere incipiant, neceſſe eſt, ut natura ſe diſponat ad commercium inter foetum, & matrem auferendum, idem fere eſt ac in fructibus horraeis maturis, qui, dum ad debitam maturitatem pervenerunt, ſyphunculus excreſcit, & fructus ſtylo ſuo decidit, hinc videmus in gravidis ultimo tempore nova mala ab humorum nimia copia, nec conſumpta à foetu, hinc dum accedit ingens compreſſio à foetu, & reſiſtentia ſanguinis, ut circulari non poſſit, impetus in alias partes dirigetur, unde interdum epilepſiæ, convulſiones &c. naſcuntur, quae ſingula evacuatione tolli poſſunt.

§. LX. Quarto. Sub partu aliis vexantur morbis, de quibus conſulendi embryulci.

§. LXI. Quinto ergo ſequuntur nova mala Puerperarum; primo ex ſubita inanitione, dum vaſa uterina repleta reſiſtentiam habent, quia placenta horum vaſorum orificiis appoſita, foetu excluſo, reſiſtentia tollitur ſanguini, & ora illorum vaſorum ſunt aperta, abdomen diſtentum concidit quidem, non autem tam ſubita fit contractio, quoniam tam longa facta eſt diſtractio, inde dum uno impetu huc ruunt humores, & non ſufficiens copia ad cerebrum, & cerebellum determinatur, naſcuntur animi deliquia, convulſiones ab inanitione; nam magno impetu huc ruit ſanguis, ut niſi adductis cruribus, & appoſitis faſciis augeatur reſiſtentia, tanta inanitio fieri poſſit, ut ſyncope, & mors naſcatur. Porro partes ſubito contractae ad novos morbos conferunt. Uterus evacuari debet a ſanguine, reliquiiſque ſecundinarum, & cruditatibus, ſi quae inſunt, huic evacuationi lochia conferunt, ſed vel nimis fluunt, vel ſupprimuntur, inde dira iterum mala, inflammationes, deliria, phrenitides &c. Tertia cauſa conſiſtit in vi, quam plurimae partes hic ſuſtinere debent per diſtractionem, quae fieri debet, ad foetum tranſmittendum, hinc magno vexantur dolore, nempe a labore tolerato; quo diutius protractus partus, eo major dolor, praecipue ſi manuum opera debet juvari excluſio, à partibus contuſis, a ſanguine, fœtu alio ſecundinis reſtitantibus &c. Dein quarto novis vexantur morbis, lactatur infans, primo, ex eo, quod viae illae, per quas lac ad mammas deducitur, nondum ſunt aſſuaetae, & tritae, unde variae aberrationes: dum ſanguinis impetum natura debet partiri ad uterum pro lochiis, & ad mammas pro lacte, jam omnem aliquando avertit ab utero,

& ſimul, & ſemel ad mammas deducit, unde illis vis illata facit tumores, inflammationes, ita ut tota ſubſtantia mammarum ſanguine livido intra membranam celluloſam effuſo appareat. aliquando etiam impetus eo non vergit, ſed in interiores partes, unde congeſtiones, inflammationes, ſuppurationes &c. ſi impetus eo directus: ſic dicit Celeb. Boerhaave in libr. de cogn. & curand, morb. Aph. 1329. „ dum fluit ab uteri vaſis reſtrictis „ in mammas pabulum ſeroſum lacteum, febricula exoritur, qua „ orta, ſaepe lochia omnino retinentur, unde infinita & peſſi„ mae indolis ſymptomata, prout in hoc illudve viſcus rapiun„ tur, hinc phrenitides, pleuritides, peripneumoniae, anginae, „ paraphrenitides, mammarum inflammationes; pejor hepatis, „ ventriculi, omenti, meſenterii, lienis, renum, inteſtino„ rum, tum dyſenteria, colica, iliaca, apoplexia, paralyſis, „ & multiplex ſane mali ſpecies. Scitur enim, quid natura in ſtatu ſano hic faciat, dum fœtus in utero haerebat, plurimum nutritium matris fere ad vaſa uterina deducitur, ut ſerviat nutriendo, & augendo foetui; dum nunc excuſſus eſt foetus, lactatio debet fieri, natura nutrimentum in uberibus praeparat.

§. XXVIII. unde debet hoc tempore, dum ante omnis motus ſanguinis in vaſa uterina, nunc fieri in mammaria, ſed debet natura hic dividere, nam pars ſanguinis haerens ad uterum debet evacuari, hinc ſervat impetum ad vaſa uterina, plurimum vero impetus vergit ad mammaria, ut pars ad uterum maneat, pars ducatur ad mammas; hoc fit in ſtatu ſano: ſed non ubique, ita diviſionem facere poteſt natura, unde naſcitur error, & plerumque natura, dum ſuſcipit negotium ſecretionis lactis, & vult impetum determinare ad vaſa mammaria, excitat febrim, tantas ſubinde turbas, ut omnis impetus ab utero avocetur, & humores, qui tamdiu hic ſtagnaverant, & quibus debuiſſet uterus expurgari, impetu aliorſum verſo in interiora rapiantur, unde plurima mala; nam ſanguis diuturna ſtagnatione acer hic redditus aliorſum ductus ibi obſtructiones, inflammationes &c. infert: hinc anginae, phrenitides, epilepſiae, pleuritides & praecipue antedicta mala: neque malum a menſtruis ſuppreſſis unquam natum, quod non etiam a ſuppreſſis lochiis. Porro lac ad mammas delatum, ſaepe ibi ſtagnans coagulatur, hinc dolor inflammatorius, ſuppuratio, ſcirrhus, cancer, praeſertim cum mammae, & earum vaſa nondum aſſueta huic ſecretioni; in primo ergo puerperio, dum vaſa mammaria valde adhuc reſiſtentia dum materiem chyloſam ſuſcipiunt, quae facile ſtagnatione coagulatur, caſeoſum defigetur & ſerum exſtillabit, caſeoſum obſtructiones facit,

cit, ſtagnando acre fit, hinc irritat, erodit, & inflammationes producit: plerumque tamen valida febris antecedit, antequam tale coagulum producatur; unde febris quoque aliquid ad iſtam coagulationem conferre videtur; hinc dicit Celeb. Boerh. Chem. tom. 2. pag. 303. „ forte centies medici obſervant, lac coagulari ſic a „ febri, ubi ne ſemel id vident factum ab acido. " Dein ultimo aliud malum a ſuctione, dum inde ſyſtema nervoſum continuo affectum eam vix ferre poſſit, vel ſentiunt foeminae à partibus ſuperioribus, ut capite V. G. omnes humores illuc deduci, unde interdum abſolute a lactatione abſtinere debent. Alias in papillis nimia ſenſilitas, ut excorietur, vel findatur &c. alias dum lac majori, vel minori quantitate ſecernitur, alia vitia oriuntur, dum majori, nutrimento ſibi deſtinato orbatur, ut omnia ad mammas delata, Infanti ſugenda praebeantur: ſed tum nequidem foemina, ubi hos ſtatus paſſa, & omnia ſuſtulit, quae ex dicto ſtatu naſcuntur, malis ſuis libera eſt, aliis enim iterum dum effoeta vexatur morbis, de quibus poſtea; & hinc patet, in quovis ſtatu homo ſit, non liber vivit malis.

§. LXII. Corpus itaque humanum abſolute primo aetatis curriculo iterum diu in iſto ſecundo ob morborum copiam perſiſtere nequit, licet quidem tunc temporis caeteris paribus optima frui deberet ſanitate §. LIV. quum vaſa tum maxime ſunt in aequilibrio cum humoribus §. LIV. ex quo pro magna parte ſanitatem pendere, quis inficiabitur? ſed quam cito per morbos ante dictos non deſtruitur! ea enim eſt corporis humani conditio, ut per actiones vita a ſanitate ſenſim aberret, & variis inductis morbis ad interitum ruat §. XIII, & §. XVIII, & ſic cito labente aetate homo ad ſuum decrementum vergit: hinc curſus aetatis noſtrae eſt inſtar fluvii labentis, quae ſemel perfecta nunquam habet remigrationem, quo reſpexit Ovid. 15. Metam. tempus cum fluvio comparando,

Ipſa quoque aſſiduo labuntur tempora motu,
Non ſecus ac flumen: neque enim conſiſtere flumen,
Nec levis hora poteſt; ſed unda impellitur undâ,
Urgeturque prior veniente, urgetque priorem:
Tempora ſic fugiunt pariter, pariterque ſequuntur,
Et nova ſunt ſemper; nam quod fuit ante, relictum eſt,
Fitque quod haud fuerat, momentaque cuncta novantur.

CAPUT TERTIUM.

DE

Decremento corporis humani ejuſque Morbis.

§. LXIII.

Homo ut corpore & mente conſtat §. XIV. ita conſtitutus ut ſubjectum ſit vitae §. I. Sanitatis §. XII. §. LIII. LIV. morbi & mortis §. XIII. Si has quatuor conditiones ſimul ſumimus, habemus hominis, totum curriculum, totam aetatem, nam omnis aetas hominis tantum eſt, aut vita, & ea ſana, aut aegra, vel denique mors. Ut hae quatuor conditiones in eo curriculo omnem varietatem conſtituant, is homo nunc harum quatuor conditionum particeps, ſic conſtitutus, ut plurima ferat in ſe ipſo, quae in has conditiones aliter, & aliter agunt, unamque in aliam mutare §. XIII. porro conſtitutus eſt non ſolus, ſed inter in numeras res creatas, quae non adiaphorae ad corpus humanum, ſed quibus inſunt certae vires, quibus agendo multas miraſque varietates in quatuor iſtis conditionibus producere poſſunt.

§. LXIV. Quamquam a me dictum aequilibrium inter ſolida & fluida corporis humani ſtatum ſuum jam adepti aliquot annos perdurare §. LIV. intelligendum velim, quod praevalens reſiſtentia ſolidorum ſeſe ſenſim connectentium, in initio tam parva ſit, & lente & gradatim augeatur, ut nullae noxae exinde producantur, niſi perfecto temporis circulo: tempus vero prima notabilia ſecum ferens incommoda, quibus continuo monemur de invaleſcente corporis terreſtris ſtructura, videtur eſſe annus quinquageſimus, ut ante patuit §. V. & tunc indies magis magisque homo ſeneſcit, donec tandem mortis naturalis commune panditur limen. Hinc Tibullus in Eleg. 4. Lib. I.

At ſi tardus eris, errabis: tranſiet aetas:
Quam cito non ſegnis it remeatque dies?
Quam cito purpureos deperdit terra colores,
Quam cito formoſas populus ante comas?
Quam jacet, infirmae venere ubi fata ſenectae,
Qui prior Elaeo eſt carcere miſſus, equus!

§. LXV. Incrementum in eo diximus conſiſtere, quod ſolida habeant elementa minus cohaerentia, & quod vis fluidorum ſit fortior §. XIII. Quamdiu ergo datur talis in fluido motus, & in ſolido compages talis, tamdiu incrementi locus dabitur §. LIV. mox ac per incrementum interſtitia ſolidorum repleta ſunt materie, ut interſtitia non amplius formentur, reſiſtit fluidorum motui; perſtare homo videtur; ubi deficiunt elementa, & non amplius contigua manent, quum quidem fiat nullum incrementum, non poſſunt, quin decrementum patiantur, quod tamen tunc tantum fit perfectiſſime, ubi ſolida excuſſis fluidis, contrahuntur, decreſcit corpus, ſublata inter ſolida & fluida proportione §. LIV. Prout nunc ſolida fluidis tardius privantur, tanto citius homo deſcreſcit. Foeminae ad incrementum ſuarum virium caeteris paribus, citius perveniunt, quoniam ſunt debiliores, & laxiores viris. Patet porro, quo homo temperie laxiore nativa, vel fortiore gaudet, quod citius, vel tardius decreſcat; dein magnum accedit diſcrimen pro vitae genere, & pro atmoſphaere differentia: Boerh. dividere ſolebat aetatem in tres gradus, ut videri poteſt in Praxi Medica tom. I. primo, quando increſcit, ut fit ad 25. vel in aliis ad 30. annum: & tum ſecundo perſtat, nempe à 25 ad 50. ſi per 30 increverit ad 60 perſtat, tum tertia aetas decreſcens à 50 ad 75. vel ſi per 30 annos increverit ad 90; hic vero mors naturalis ſine ullo morbo ponitur; qui vero usque ad 20 increſcunt, usque ad 40 ſtant, & 60. moriuntur.

§. LXVI. Incipit vero in hoc tertio vitae ſtadio vacillare aequilibrium inter ſolida & fluida, per quod corpus antea perfectâ fruebatur ſanitate §. LIV. ſolida enim ſenſim copia & viribus praeponderare fluidis ſolent, hinc functiones à debita proportione motus, & reſiſtentiae inter ſolida & fluida dependentes à ſanis decedere incipiunt: corpus autem humanum ex minimis vaſculis in tam magnam molem increvit; interea ex his minimis, quamdiu vita fruitur homo, per actionem antea deſcriptam § XIII. XVIII. LIV. abolentur, & conſolidantur, ſic ut vaſis natu-

naturam amittant: verum enim vero talis abolitio in corpore ad lumina vitae ſurgente, & jam accreſcente omnino neceſſaria erat, ut ſenſim ſenſimque corpus ſuum robur adipiſceretur, atque priſtinam deponeret mollitiem aetati infantili familiarem. §. II. §. XIII. & conſtantiam fortitudinemque pro tempore, ut in incremento, acciperet; verum incrementi terminum, & requiſitum robur in partibus ſolidis jam adeptus homo ob eandem illam actionem in vaſa §. XIII. LIV. diu in ſtatu ſano manere poteſt; nam per repetitam illam vitae actionem §. LIV. ſolida valide compinguntur, & adunantur inter ſe, ut requiſita flexilitas in his pereat; ſicut partes in dies magis magisque reſiſtentiam praebeant fluidis per ipſa vaſa motis, quae, ut iſti effectus fiant, qui in ſanitate aliter locum tenent, harum reſiſtentiam ſuperare debent. §. LIII.

§. LXVII. Omnis autem ſolidi origo eſt fibra minima, ex ea membrana, ex iis vaſcula, ex vaſis omnis generis viſcera naſcuntur, ſive compages corporis humani §. X. & à tali fibrarum robore pendent omnes actiones, quando ergo vel major, vel minor cohaeſio in iis obſervatur, diverſiſſimi eduntur effectus. Ita enim comparata ſunt ſolida, ut, quamprimum ſe comprimunt, & apprimuntur ſuperficiebus, ablato intermedio aquoſo, vel vaporoſo, concretio ex his naſcatur §. LXV. & inde corpus continuum, exemplum eſt in pleura, pulmoni accreta, & in foramine ovali, ubi appenſa membrana concreſcit; ſi ergo vel majus vel minus vas liquidum, huc uſque vas illud diſtendens, non amplius accipiat, quacunque de cauſa; ſi vas tum ſit elaſticum, fibrae ſe contrahent; cavo abolito ſolideſcent, ſi in arteria id fiat, puta, per inflammationem; vel aliam cauſam liquidum non accipiat, latera addicta, cohaerebunt: ſi vas non elaſticum, collabitur, hacque mutua laterum applicatione vera contiguitas, & continuitas oritur, eo magis adhuc ſi cauſa comprimens accedat: idem ſequitur effectus, ſi vas quacunque de cauſa ita comprimatur, ut liquidum expellatur: & hoc eo magis patet ex antedictis de origine ſolidorum e fluidis §. XI. ſic enim ſenſim nata vis robuſtior in ſuis elementis, quando nimium ſic fibrae in latitudinem ſibi apponuntur, habebit in pluribus locis cohaereſcentiam, & eo majorem vim, quo pluribus elementis adhaeret. Si jam vas concreſcens cavum aboleat, tum quodlibet horum elementorum majorem cohaeſionem nanciſcitur, & inde majus quoque robur, quam ante, cum vaſculum adhuc erat fibra minus compoſita, neque cum aliis unita; ob hoc robur ergo quoque ſenſim major reſiſtentia.

§.

§. LXVIII. A fluidis ſic per aſſiduam vitae actionem §. XIII. LIV. è corpore expulſis tandem, rigiditas ſolidorum nimia inducitur, quae obtinet, ſi elementa non cedunt illis motibus, quibus cedere deberent: plurimae partes ſolidae eam cohaeſionem habere debent, ut poſſint cedere, & in contactibus mutari, niſi hoc fiat, erit quies §. XIV. LIII. Hinc requirebatur, ut partes ſolidae cohaererent, ſed ea vi, quae ad certum gradum ſuperabilis eſſet a fluidis § XII. LIII. ut haec poſſint efficere, ut novus iterum motus producatur, ut haec contractio ſequatur. Clare inde conſpicitur, quantum mali oeconomiae corporis inferatur Corpus enim humanum, quod ſe continuo deſtruit vitae actuoſitate, non duraret, niſi deperditum reparetur; quod fit per ſimile nutriens, ſed alimentum dum ingeritur, nec dum eſt tale, modo aptum, ut vi corporis in ejus naturam mutari poſſit, hoc peregrinum ingeſtum in corpus per ejus actiones ſic mutatur, ut in talia fluida & ſolida abeat, quae corpus humanum conſtituunt §. VII. ſed iſtae actiones per aſſiduam vitae actuoſitatem tandem depravantur, nam ut rite agunt, debet reciprocus motus inter ſolida & fluida vigere § XII. LIII. nunc autem majori inducta ſolidorum reſiſtentia; iſta actio ſenſim deletur, unde reparatio perditi, ut in ſtatu ſano, amplius fieri nequit, & tamen pergente iſta vitae actuoſitate §. LIV. aliter fieri non poteſt, quin corpus decreſcendo ad ſenectutem deducatur, quae eſt miſerrima aetas, quia plerumque longa morborum ſerie concomitatur, quod & Ovidius jam ſuo tempore eleganter expreſſit.

——— ——— ——— *Sed jam felicior AEtas*
Terga dedit, tremuloque gradu venit aegra ſenectus,
Quae patienda diu eſt.

§. LXIX. Poſtquam vero nobis patuit, quantum vis vitae in noſtris ſolidis polleat, & quomodo illa rigiditas ab iſta vitae actuoſitate producta ſeſe habeat: jam paucis dicendum, quid morboſi ex iſta rigiditate quoque fluidis contingat; ut ſic melius morbos ex binis his cauſis oriundos examinare poſſimus: ſolida enim & fluida corporis humani tam arcte inter ſe ſunt juncta, ut ſi in alterutro quid morboſi ſe proferat, haec vel illae quoque ſubito in conſenſum trahantur: Corpus itaque humanum, ſi ob continuam vitae actuoſitatem vaſculis minimis orbari incipit, tunc temporis ſimul patitur jacturam humorum, & quibus vaſa illa antea replebantur, effectus igitur ab his dependentes non amplius produci poſſunt; illud vero humorum diſpendium eſt

majus

majus vel minus, prout plura vel pauciora vaſa abolentur, unde ſi antea centena fuere in aliqua corporis parte vaſcula, & jam obtinet rigiditas, ſic ut locus calloſus exiſtat, & in illis vaſculis antea extiterunt liquores, jam nullus ipſis ineſt: hinc patet, ſolida fluidis ſenſim praeponderare: ſi jam hoc concipitur per totum corpus, nam juxta Boerh. in Inſt. §. 214. „ nulla eſt „ in univerſo corpore particula ſenſibilis, quin habeat arterio„ lam, ut docent vulnuscula, microscopia, injectiones; quanta ergo exinde induceretur corpori rigiditas; & quanta ab utriusque, ſublata proportione, incommoda obvenirent. „ Quia naturae „ progreſſum „ inquit Galenus de ſanitate tuenda lib. VI. cap. 3. „ qui eſt ad ſiccitatem, effugere non licet, ideo ſeneſcimus, & „ corrumpimur. „ Porro ſolida etiam vi ſuperant fluida, ut §. LXVI. unde humores, qui per vaſa praeſertim minima fluere debent, magnam patiuntur reſiſtentiam, quae tandem ita augetur, donec, humoribus expulſis, vaſa concreſcant. §. LXVII. & ſic pergente minimorum abolitione rigiditas aſſiduo augetur, & tandem fluida quoque incipiunt retropelli verſus cor: arteriae enim dilationi magis magisque reſiſtunt, hinc non recipiunt maſſam ſanguinis à corde projectam, hinc ſenſim ſenſimque incipit deficere iſta aequalis humorum circumactio §. XII. XVIII. LIII. hinc functiones actionesque ab iſta dependentes quoque aboleri incipiunt, ad ſanitatem enim ſervandam neceſſe eſt, ut vaſa ſint ſemper in proportione ad fluida, reſpectu capacitatis & copiae ut tantam copiam ſanguinis accipiant, quanta á corde unâ vice ejicitur., hinc ſi haec capacitate, & numero decreſcant, neceſſe eſt, ut homo tandem ſuffocetur; nam ſi indies magis & magis major oriatur iſta reſiſtentia, cor tandem ita debilitatur, ut omnem ſanguinis copiam uno ictu expellendo non ſit, perfecta evacuatione impedita, ſanguis craſſus, viſcidus tandem illud obruat: interea fiunt in vaſis variae concretiones ob retardatam ſanguinis circulationem, ut tandem omnes fere humores cum ſuis vaſculis in ſolidum corpus concreſcant, hinc quoque patet, quod iſtae mutationes in fluidis quoque citius vel ſerius contingant, prout diſpoſitio morboſa ſolidorum citius vel tardius increſcit; nec latet, quod, quo AEtas provectior, eo ſolida majori vi & copia fluidis praeponderent LXVI. & fluida ſenſim imminuantur, primo ſubtiliſſima LXVIII. Reſtat tandem videndum, quinam morbi ultimo huic vitae ſtadio maxime ſint familiares, ex antedictis faciles intellectu.

§. LXX. In ſenibus vero proportio liquidi decreſcit §. LXV. ſiccitas, rigor, augentur, vaſa minora occaleſcunt, §. LXVII. quibus abolitis, etiam tenuiora liquida, quae per haec circulari debent, deficiunt; inde lentor circulationis, & omnes morbi, ſeniles, eo rediguntur, ut lentor circulationis naſcatur §. LXIX. & ſublatis vaſis, & humoribus tenuioribus deficientibus omnes actiones a vivida circulatione & ſubtilibus humoribus dependentes imminuantur, inde in corpore ſenili degeneratio humorum in mucoſam indolem, unde obſtructiones viſcerum, oppletiones pectoris, morbi hepatis, renum, veſicae &c. & ad extremitates articulorum dolores podagrici, gonagrici, mala iſchiatica, & alia ab his dependent: unde Hippocrates: aph. 31. ſect. 3. „ Senibus ſpirandi „ difficultates, deſtillationes cum tuſſi, ſtranguriae; dyſuriae, ar- „ ticulorum dolores, nephritides, vertigines, apoplexiae, mali „ corporis habitus, pruritus totius corporis, vigiliae, alvi ocu- „ lorum & narium humiditates, viſus hebetudines, glaucomata, „ auditus graves. " Re vera nulla eſt corporis functio, quin tandem morboſa evadat, tamen quaedam prae aliis citius morboſae fiunt, deficiuntque, diximus vero antea, concretionem primum fieri in vaſis minimis §. LXVI. LXIX. & vaſa minima plerumque ad humores ſubtiliſſimos ſeu ſpiritus movendos, atque praeparandos deſtinata ſunt, nam ut magnus Verulamius dicit „ ſpiritus om- „ nium, quae in corpore fiunt, fabri & opifices ſunt „; & quia jam iſta vaſa ſpiritus vehentia ſunt longe ſubtiliſſima, & anguſtiſſima, citius ſuos meatus imminuunt, ut tandem occludantur, his ergo deficientibus functiones ab iis dependentes citius quoque abolentur: unde patet, quare homo in prima ſenectute tam cito incommoda circa ſenſus internos, & externos ſentire incipiat; hinc viſus, auditus, tactus, guſtus, olfactus, memoria, imaginatio, affectus animi, attentio, omnes hi per gradus hebeſcunt, donec tandem, anaeſteſia nata, deleantur: ſic quoque ad motus quoſcunque torpidum, & inhabile fit corpus, privatur enim cauſis motricibus, nempe ſpiritibus & qui adhuc ſuperſtites ſunt, inordinate, & inaequaliter ad partes determinantur, hinc tremorum cauſa facile intelligitur, quae praecipue obtinet in ſenibus, nam eorum membra, ut manus, brachia, crura, pedes &c. motibus exercendis deſtinata, continuo ſi motum quemdam producere velint, ob dictam cauſam tremunt, & tremulo gradu ſemper incedunt, unde non immerito quidam poëta:

Hae

Hac ſunt primitiae mortis; his partibus ætas
Defluit & pigris greſſibus ima petit.
Non habitus, non ipſe color, non greſſus euntis;
Non ſpecies eadem, quae fuit ante, manet.

Senes in hoc ſtatu exiſtentes commercium cum rebus mundanis praecidunt, contempta venere, poſthabitis divitiis, auxilio adminiſtrando unice intenti, ut fideli famulatu releventur; obſequia legatis relictis ſæpe compenſant. Quidam decurſum vitæ tranſactae contemplans in ſui memoriam ſequentes verſiculos reliquit:

Uxores ego tres vario ſum tempore nactus
Tum JUVENIS, *tum* VIR, *factus & inde* SENEX
Propter OPUS *prima eſt Validis mihi juncta ſub annis,*
Altera propter OPES, *tertia propter* OPEM.

§. LXXI. Ex dictis ergo evidens, cum corpora ſenum ad functiones perficiendas tam tarda, & inepta evadant; non tantum ſpiritus, omnium opifices, quae in corpore fiunt §. LXX. hic evaneſcunt; ſed omnes partes corporis ad varios motus producendos, perficiendoſque hebetes redduntur, tandem abolentur, quae antea agiliſſimæ fuere: Supra vero oſtenſum, quam flexile corpus infantis exiſtit, quam mobiles in ipſis omnes artus, §. II. §. XIII. ſed jam in ſenio quam immanis rigiditas in omnibus membris obſervatur; ſummus enim Artifex corpus humanum ex minoribus partibus ſeu vaſculis, quæ iterum ex minimis conſtruxit, & per quae continuo humores perfluunt, ſic ut flexile exiſteret; & hinc patet, cur infantes corpora tam flexibilia habeant, nempe op humores quantitate ſolida ſuperantes §. II.; hinc omnes partes, ut membranae, vaſcula, tendines, cartilagines, imo oſſa, in ipſis ob iſtam rationem tam molles & flexiles, ſed jam in ſenio ob aſſiduam vitae actuoſitatem fluida ſenſim diſſipantur, vaſa inter ſe concreſcunt, hinc omnes partes rigidae, exſuccae evadunt, imo muſculi in tendines, tendines in cartilagines, cartilagines in oſſa mutantur; ex inde ergo facile impedimentum motuum, qui naturaliter ab iis partibus perficiuntur, intelligi poteſt; naſcitur quoque defectus olei vel pinguedinis, quorum ope muſculi, tendines continuo lubricantur, hinc hae partes quoque exſuccae, & aridae redduntur, & ineptae ad motum evadunt: nam ad juncturas, & articulos oſſium invenimus poſitum ſmegma ſeu oleum quoddam Haverſianum dictum,

in ſacculis contentum , cujus ope continuo hae partes lubricantur ; & flexiles redduntur, hinc motus ab iis producendis facilitantur , ſed una ob rationem ante citatam exareſcunt , omnes glandulae , utpote ex minimis vaſculis compoſitae , in actione depravantur ; hinc ſmegma illud ſive oleum non amplius ab iis ſecernitur , unde oſſa ſtrident ad motum , imo tandem motus integre aboletur ; uno verbo omnes actiones ſive animales , ſive naturales, ſive vitales in ſenibus languent : unde merito dixit magnus Verulamius ,, ſi quis poſſet reſtituere in corpore ſenili ,, Spiritus , quales ſunt in Juvene, conſentaneum eſt totam machinam reliquas minores circumagere iterum poſſe " & ſic certe res habet. Quis autem ad hoc opus tam habilis ? ſed videns Diſſertationem jam in magnam molem excreviſſe, & brevitati, quantum fieri poteſt , ſtudens , omiſſis reliquis Senum calamitatibus paucis quaedam adnectam de morbis praecipue foemininis, jam ſecundo vitae ſtadio peracto, propiis.

§. LXXII. Antea jam diximus, quod foemina, quia varios ſtatus paſſa , tamen malis libera non exiſtat : §. LXI. Nam aliis, dum jam effoeta, malis afficitur ſibi propriis ; novi tum oriuntur morbi ; quorum natura patet : hactenus enim natura aſſueta ſingulis menſibus ſanguinem evacuare , nunc dum effoeta, dum omnia ſtricta & rigida, menſtrua evacuatio ceſſat, haec ceſſatio naturalis talia infert mala , qualia virgines à menſtruis ſuppreſſis contrahunt §. XLII. ad XLVI. natura, dum menſtrua ob exareſcentiam vaſorum ſufflaminantur, non deſinit plethoram menſtruam generare , ergo ſi plethora nata , & non evacuatur, eadem, quæ in virginibus à menſtruis vel emanentibus , vel ſuppreſſis naſcuntur mala, plethora haec vel univerſalis, vel tantum ad partes ſe extendit , ubi ſubiti aliquando naſcuntur impetus, ut enormes fluxus uterini producantur ; interdum per vomitum evacuatur ; aliquando facit impetus ad mammas, hinc non raro in effoetis ſcirrhi , & cancri mammarum fiunt : alias languente circulatione in languorem , & viſciditatem tranſit ſanguis , & cacochymia oritur. En tot & tam multi morbi ex hoc fonte fluentes Sed ut jam ſenſim finem diſſertationis faciamus , paucis videndum reſtat, cur homo morte naturali, utpote ex ipſa vita §. XIII. & XVIII. ſequente, tandem exſtinguatur.

CA-

CAPUT QUARTUM.

DE

Morte Naturali.

§. LXXIII.

Diximus vero antea vitam corporis eſſe eam diſpoſitionem, quae circuitum humorum perdurare facit §. XVIII. Ergo vita conſiſtit in dicto circulo humorum, hinc, ceſſante iſta circulatione, mors aderit, id eſt erit tam fluidorum, quam ſolidorum abſoluta quies §. XVIII. Dicit enim Celebr. F. Hoffmannus in Med. ration. ſyſtemate tom. I. pag. 65. ,, infinitae licet ſapien-
,, tiae machina corpus humanum ſit, nihilominus ratione mate-
,, riae eſt ſumme corruptibilis & ratione ſtructurae, & nexus
,, partium eſt mutabilis valde, & tandem deſtructibilis, ideſt fa-
,, cile integritate, mobilitate, ac denique vita privari poteſt.
,, Ut ut homo puriſſimo aëre, ac temperatis imo & corpori con-
,, gruo alimento fruatur, & ſecundum ſaluberrimae diaetae prae-
,, cepta vitae rationem inſtituat, ipſi tamen eſt moriendum:
,, nam mors ultima linea rerum eſt. Hinc Seneca.

Omnia tempus edax depaſcitur; omnia carpit;
Omnia ſede movet: nil ſinit eſſe diu.
Flumina deficiunt, profugum mare littora ſiccat.
Subſidunt montes, & juga celſa ruunt.
Quid tam parva loquor? moles pulcherrima coeli
Ardebit flammis tota repente ſuis.
Omnia mors poſcit. Lex eſt, non poena perire.
Hic aliquo mundus tempore nullus erit.

Cauſae occaſus vitae humanae ex hucuſque dictis obviae; vita & ſanitas conſiſtunt in actione, & reactione ſolidorum & fluidorum §. XII. LIII. Sangius ex cavis venoſis in cor receptus in arterias propellendus, ad quod requiritur ea vis cordis, quae

 reſi-

reſiſtentias in utroque ſyſtemate arterioſo occurrentes ſuperet, latera canalium imprimis obriguere, ſubinde oſſei quid oſtendunt, cedere neſcia; unde ſanguine congeſto, ſuffocatur actio cordis, quod exparte quoque obriguit. vid. §. LXVI. LXXI. §. XVII. §. XII. §. VI. §. VIII. §. L. §. LIII. Omnia ſolida fluidis diſſipatis conſtricta, cum fluidis inertioribus concrevere; idem fatum in ſyſtemate nervoſo obtinet §. LXX. Nativum vitae robur, victus ſiccior, acrior, exercitia corporis validiora, aut vita otioſa calamitoſum hunc vitae terminum accelerant.

§. LXXIV. Modus, quo rigiditas haecce ſenilis naſcatur, conſiſtit ex parte in amore Epicuri ſeu nixu in cohaeſionem, dum elementa ſibi applicata, preſſa, fluidis intermediis deficientibus, quibus concretio impedienda, erat, coaleſcunt, ſolidum continuum, rigidum conſtituunt, ex parte vero in ſucco nutritio, ob defectum cauſarum aſſimilatricium characterem vitalem non adepto; de quibus omnibus ſuis locis dictum, ita ut pauca reſtent exponenda.

§. LXXV. Rigiditas haec inducta uti effectus eſt cauſarum recenſitarum, ita cauſa vitae magis magiſque deficientis, tandemque interitus exiſtit; cum circuitus ſubtiliſſimorum vitalium abolitus ſit, per vaſa majora diu durare nequit, ut mox patebit.

§. LXXVI. Omnia mala partium minimarum §. LXXIV. hic iterum locum tenent; exinde oritur in vaſis validus in cohaeſionem niſus, quo iſtae fibrae conantur ſe applicare ad axin ſui canalis; axis eſt enim linea quae ducitur per longitudinem canalis, naſcitur inde ſectio circularis; poninus jam radios hujus circuli ad ſe invicem ruere fortiter, quid evadet? naſcetur circulus minor, quo fibrae ruunt in minorem contactum, eo minor, erit laterum contactus. Si concipimus vas conicum conſtare ex fibris longitudinalibus, illae non poterunt longiores fieri, quin ſi ponamus V. G. vas arterioſum conicum; latera trianguli fiunt propinquiora ad ſe invicem, hinc ad centrum medium ſive axin; quo latera ergo appropinquantur magis, eo etiam cava fiunt minora: rigiditas ergo dependet ab appropinquatione vaſorum ad ſe invicem, & conſolidatione laterum majore §. LXVII; & exinde quoque preſſio fit a lateribus, vaſa reſtituit, latera reagunt, & fit extenſio: unde haec? naſcitur tantum à niſu fibrarum & elementorum contra liquida, accedunt ad ſe invicem elementa, & quo niſus major, eo preſſio major, hinc etiam fit compreſſio, quae ſi jam adeſt vocatur

catur illa preſſio ab omnibus lateribus; vaſa ubi ſanguine plena, ſanguis premitur a fronte, ſed non modo à tergo, & tanquam cuneus premitur; hinc ut vaſorum latera ſunt elaſtica, cedunt, quo autem magis elaſtica, eo reſiſtentia minor; quo rigidiora, tanto major reſiſtentia: inde patet ratio, in hominibus validis ſanguinem eſſe compactiorem, quam in debilibus: Sic quoque fit repulſio, & expulſio, prior vocatur ea nova a vaſe preſſio contra liquida: poſterior illa eſt actio, quâ vas ſe à liquidis liberat: porro partes jam rigidae factae quoque conantur reſiſtere liquidis à corde motis, ſic & ipſi cordi reſiſtentiam prebent §. LXIX. nam cor & arteriae duae ſunt antagoniſtae, ubi jam cor ſuum ſanguinem in arterias expulſit, reſiſtit ſanguini redeunti, ſic & fit in arteriis, & venis; harum ſyſtole eſt diaſtole aliarum: ſi jam cordis motus diſpendatur contractione arteriarum, fit continuus & circularis motus, arteriis in contactu ſuo permanentibus, fit reſiſtentia cordi, cui etiam reſiſtitur, quoniam eſt ipſa machina, quae ſanguinem movet, undenam pronitas, unde ſtimulus? non fit hic niſi relative ad reſiſtentiam ſanguinis in arteriis: fit influxus ſpiritus nervoſi, quo incitatur cordis motus, nempe per nervos cardiacos. Ergo ob talem reſiſtentiam ſenſim aequabilis ſanguinis motus interrumpitur. §. LXIX.; quae conſiſtit, ut cor certam quantitatem ſanguinis in ſuum cavum accipiat proportionatam, conſiſtit in hac quantitate aequabilis contractio cordis. §. LXIX. hac deſtructa aequabilitate, etiam deſtruitur omnis ſecretio aequabilis humorum: nunquam melius ſecretiones fieri videmus, quam in ſomno, contra, quo motus major, eo etiam inaequalior ſecretio, augetur ſecretio ſudoris per motum auctum. patet, cur homines decrepiti habeant excretiones valde imminutas. ſi cor excretiones ſuas retineat, & nil mutetur quoad cordis vires, ſed elater vaſorum imminuatur, cor conabitur plus ſanguinis expellere, ſed cordis vires manent eaedem. Effectus: incipiet palpitare, nam conatur ſe evacuare ab omni ſanguine, quem a venis accepit; alias in ſumma ſanitate credimus, quod tantum infundatur venis, quantum in arteriis influit, ſemper plenaria aequalis manet evacuatio. §. LXIX. Sed hac impedita producitur inde effectus, nempe polypuis, ſive concreta ſubſtantia ex ſanguine, & vaſorum tunicis, & plerumque ſe diffundit in cavitatibus cordis, vaſorumque arterioſorum, & venoſorum majoribus, & quia multos quaſi pedes refert, hinc polypus dicitur, ſub agone mortis in hominibus, & animalibus multi polypi

ypi plerumque circa cor concreſcunt: in bobus ſaniſſimis mactatis circa cor multi iſti polypi inveniuntur, poteſt fieri, ut illud animal ſanum illis non laboraverit; ſanguinem & ſerum ſanguinis conſtat eſſe fluida, quae proxime tam ad naturam fluidorum, quam ſolidorum accedunt; ſic Laniones ex ſanguine recentiſſimo faciunt ſpeciem membranae ſaepius movendo illum baculo §. XI. certe quoniam ſola ſtagnatio, & compreſſio hoc facit extra vaſa haerenti ſanguine, quare non idem obtinet in ſanguine vaſis contento: in vivo ſanguine conſiderandi globuli, ut tantum per puncta ſeſe tangentes, ubi compreſſio accedit, angulosae evadant ſuperficies, nonne poteſt hac compreſſione naſci ſumma accretio horum ad ſe invicem ſi cogitamus deinde ſerum ſanguinis, & ſanguinem eſſe liquida coagibilia §. XI. LXXIV. & applicemus cauſas, videmus multas concurrere ad coagibilitatem, ſi inſpicimus ſcripta Malpighii de polypo: ſtagnatio hic vero cauſa praecipua; ſic videmus apud Louwerum, ubi plurimae cauſae polypos producentes referuntur: quid inde? fiunt palpitationes cordis, dein pulſus irregulares, intermittentes, anxietates mirae &c: aliquando in figuram talem abeunt, ut ſanguinis transfluxum permittant, quidam in ſpeciem tubi, hos ante mortem factos ſtatuere poſſemus; quidum durae ſubſtantiae viſi fuere, qui non amplius colorem album, ſed album atrum habuere, viſi fuere; perfecte ſimiles illis pſeudo membranis §. XI. quidam oſſeae duritiei fuere, viſi ſunt in cordis receptaculis, ſinibus, tam terribiles, ut illos diſtenderint enormiter: cauſae horum variae, homines viſi ſunt in polypoſas concretiones incidiſſe, qui perculſi fuere, ſubitiſſimo animi pathemate, ſanguis tum citiſſime ab omni circumferentia tam arteriarum, quam venarum refluit verſus cor, quod tum plenariae ſe evacuare non poteſt, fit ſtagnatio patitur ſanguis refrigerium, unde facillime intelligitur polypos oriri poſſe, qui deliquiis animi à nervorum affectione laborant, illos polypis laborare patet, lentiſſime in illis movetur ſanguis, a lentore autem deducit polypos Lowerus: ſic etiam a nimis cito motu oriri poſſe exiſtimamuis: habet homo robuſtiſſimus ſanguinem pronum ad polypos id eſt ad ſtagnationem: ſanguis in noſtro caſu denus eſt, cor conatur propellere aorta enim, nequit dilatari, fit reſiſtentia cordis, palpitat, & dum facit ſummam vim ad expellendum ſanguinem, parietes non cedentes eum reprimunt: ratio ergo non difficilis erit, quare poſt has concretiones mors tandem ſequatur.

§. XXVII.

§. LXXVII. Si ergo omnia ante dicta hic repetimus, facile patebit, cur homo dum omnia jam rigida, morte naturali exſtinguatur, diximus antea, quo homo origini propior, eo habet ſolida minus propinquiora ad ſe invicem haerentia §. XIII. §. XXXIII. in primo initio cartilagines & oſſa muci inſtar ſunt, ſenſim progreſſu aetatis in majorem firmitatem, & circa ſenium in rigiditatem abeunt §. LXXI. quo junior homo, eo plura vaſa, & decreſcentium vaſorum ora apertiora §. XIII. patet in arteriis umbilicalibus venis, patet in ſuperficie externa, quid loca calloſa ſint, in genere, quod quo homo decrepitus magis, eo perſpiratio minor §. LXXIV. quo origini propior, eo minor proportio ſolidorum, quam fluidorum §. II. XIII. imo, quoniam ſolida ejus ſunt paſſa motum jam longiſſimum, rigidus fit: & hinc ſi nulla cauſa niſi ſenectute homo ad mortem deducatur, nihil accuſari poteſt, niſi rigiditas vaſorum: profſpexit natura, ut cum vi deſtructiva ſui corporis etiam reſtaurativam ſimul haberet, ut autem huic perpetuae jacturae quam optime eſt profſpectum §. VII. LXVIII. hinc homo ſe, & ſuum corpus perpetuo per ingeſta poſſet reſtaurare, ſed jam datur aliud, corpus, ut ad ſuum incrementum perveniret, debet eſſe laxum §. XIII. non comprehendimus haec ſatis, videmus, quod quamdiu cerebrum, & nervi adhuc non certam duritiem acquiſivere, quod ſenſus ſint minimi in homine §. XVII. Creator ut vim aſſimilatricem fecit in corpore, fecit etiam vim corpus in debitam fortitudinem deducendi, ideſt ex laxo corpore fieret corpus forte §. LXVI. ſi nunc continuetur augmentum fortitudinis, ut hic in ſenibus; ex augmento compactionis elementorum comprehendimus, quod ex forti rigidus fieri debeat: ubi jam forte corpus pergit vitam agere, & ſic naturaliſſime patet, quod è forti rigidum fieri debeat corpus: debent & hinc aboleri omnes actiones, ut motus animales, actiones naturales, & denique actiones vitales deficiunt, in ſene priores & ultimae ſic labefactantur, ut aboleantur ſenſim ſenſimque.

§. LXXVIII. Quis ergo omnibus partibus jam inducta rigiditate non conſpicit, Maraſmum ſenilem obtinere, tragoediamque exercere in miſerrimo iſto Microcoſmo, donec tandem ultima vitae ſcena inductâ taediosâ mortis imagine limen obſtruit: imo quis non videt, totum corpus exſuccum, rigidum fieri, tremorem caput occupare, pedes tremiſcere, greſſus vacillare, habitum corporis fieri ſquallidum, colorem antea vividum in pallidum mutari,

tari, cutem ſulcis rugari, uno verbo omnes labaſci functiones, hinc eleganter poëta dicit.

Quam cito me miſerum! laxantur corpora rugis,
Et perit in nitido, qui fuit ante color.

Imo ſi à capite incipimus, & à trunco deſcendendo ad calcem decurramus, primo nobis occurrit facies Hippocratica ab eo mortifera dicta, utpote conſiſtens in naſo acuto, oculis cavis, qui in ipſas cavernas recedunt, ita ut eorum ſedes minus, quam oportet, impleantur, imo palpebrae continuo connivent, utpote a ſomno gravati, tamen nullo praeſente; tempora collapſa ſunt, aures frigidae, contractæ, rigidae atque retortae, cutis circa frontem dura, ſicca, rigida, ſulcata obſervatur: imo malae prominent: dein in ore hiante, patulo, in quo tum aſpicimus dentes nigerrimos, exeſos, carioſos, & deſiduos hominisque os quam maxime defoedantes, qui vero antea in juventute albiſſimi pulcherrimique coloris fuere; imo facies, deficientibus dentibus miro modo mutatur, mentum enim exinde ad anteriora prominet; praeterea pilorum canities obſervatur hic in ſenibus magno aeſtimanda, ut ex ſacris patet litteris Proverb. 16. vſ. 31. *Corona ornatiſſima eſt canities, quae in via juſtitiæ invenitur.* dein Prov. 20. vſ. 29. *Ornamento Juvenibus ſunt vires ipſorum : & decori Senibus canities.* & hinc jam olim canendo protulit Ovidius.

Magna fuit quondam capitis reverentia cani,
Inque ſuo pretio ruga ſenilis erat.

Imo omnibus partibus in rigiditatem, & ſiccitatem mutatis, pilique ſubtiliſſimo humore nutritio orbati tandem decidunt, & calvities in capite conſpicitur : & ſi ſic ſenſim a capite deſcendimus, videmus primo, cervicem tortuoſam, gracilem, ad ſpeciem longiorem, vix a ſitu ſuo mutabilem, ſed rigidam ; imo ipſa larynx prominet ; ſic videmus quoque in thorace coſtas, claviculas, os ſterni protuberare ad anteriora, eminere vertebras, imo ſpinam incurvari, nam muſculi dorſales liquido vitali deſtituti amplius truncum erectum tenere nequeunt, hinc incurvatur in anteriora verſus terram, cartilaginoſa ſubſtantia, quae vertebris interpoſita tandem quoque oſſeſcit, & per pondus viſcerum quoque magis ad anteriora flectitur, hinc coſtae deprimuntur, thorax anguſtatur, unde & reſpiratio impeditur; dein

cru-

crura, brachia, pedes, manus, digiti ſicca, rigida, inſtar chordarum tenſa ſpectantur: totus corporis habitus fit corii inſtar aridus, rigidus, flavus, fuſcus, in ſulcos corrugatur, panniculus adipoſus, deficiente oleo, evaneſcit, diſparet; omni pinguedine muſculi orbati exſiccantur, aridi fiunt, contrahuntur, oſſa ipſa per eos conſpicua: hinc non merito quidam poëta huc reſpiciens effatur:

Hirtus erat crinis, cava lumina, pallor in ore,
Labra in cana ſitu, ſcabri rubigine dentes;
Dura cutis, per quam ſpectari viſcera poſſunt:
Oſſa ſub incurvis extabant arida lumbis;
Ventris erat pro ventre locus, pendere putares
Pectus, & a ſpinae tantummodo crate teneri:
Auxerat articulos macies, genuumque tumebat
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

§. LXXIX. Sic itaque tandem corpus humanum ad ultimum vitae halitum deducitur, qui eſt, ut antea diximus §. V. annus ſeptuageſimus quintus, vel octogeſimus: nec difficile jam amplius erit intelligere, cur morte naturali homo exſtinguatur, nam ut hic patet in ſummo ſenio, quod omnia ſint exſucca, arida, vaſcula minora omnia fere deſtructa, & abolita, circulatio vix in iis locum tenet, ſi quae eſt, tantum ſupereſt per vaſa majora; verum enim vero majoribus hiſce vaſis ob continuum motum fit immane robur, & reſiſtentia continuo ob eandem cauſam aſſiduo magis, & magis augetur ſupra vim ſanguinis propulſi: hinc & arteriae reſiſtentiam dilatationi praebentes retropellunt ſanguinem verſus cor §. LXIX. hinc cordi tandem fit reſiſtentia major, quam ſuperare poteſt, fit quaſi ſanguinis ſtagnatio ad cor, multis malis antea explicatis inductis §. LXXVI. tandem ſuffocatur; & morti ſubjicitur quicumque mortalium: *nam pallida mors aeque pulſat pede pauperum tabernas, regumque turres:* hinc eleganter homo moribundus deſcribitur ab Ovidio 2. Metam.

In vultu color eſt ſine ſanguine, luminia meſtis
Stant immota genis, nihil eſt in imagine vivum.
Ipſa quoque interius cum duro lingua palato
Congelat; & venae deſiſtunt poſſe moveri,
Nec flecti cervix, nec brachia reddere motus.

§. LXXX. Ex his ergo puto B. L. pro meis viribus explicaſſe, cur omnes mortales, per eandem cauſam, quâ vivunt, imo per quam incrementum, decrementum habent, ad mortem deducantur; imo dicit Boerh. in Inſt. §. 1053. „ Corpus bene ſanum per„ actiones a vitâ ſanâ inſeperabiles ſenſim ita mutatur; ut fibrae „ minimae rigidiſſimae fiant, vaſcula autem tenuiſſima concreſ„ cant in fibras concretas, & humoribus non pervias, vaſa ma„ jora dureſcant, arctenturque, omnia autem ſimul contrahun„ tur, compinguntur, concreſcunt ſibi invicem, unde ſiccitas, „ immobilitas, imminutio ſenilis: hinc vaſculorum minimorum „ munera deſtruuntur, humores in iis ſtagnant, lenteſcunt coa„ leſcunt inter ſe, & cum canalibus propriis, adeoque ſubtiliſſi„ mi deficiunt, coctio debilitatur, reparatio deficit, craſſiores per „ ſola majora vaſa lente decurrunt, & vitam ſolam absque ani„ malibus actionibus ſuſtentant, unde tandem mors ſenilis per „ has mutationes accidit inevitabilis, & ex ipſa ſanitate ſequens. Sic ergo ipſa vita, id eſt circulatio ſanguinis §. XIII. §. XVIII. LIII. LIV. mors dici poteſt; quiâ continuo homo per eam deſtruitur, & ad ſuum interitum deducitur. Hinc elegantiſſime quidam Poëta.

Fallimur, & caeſi mortem procul eſſe putamus:
Illa tamen medio corpore clauſa latet.
Scilicet ex illa, qua primum naſcimur, hora
It vitae juncto mors comes atra pede.
Haec partem vitae ſemper furatur, & ipſam
Diminuit vitam quaelibet hora tuam,
Paulatim morimur: momento extinguimur uno.
Ut lampas oleo deficiente perit.

Sic tandem homo variis miſeriis, imo morte tentatus, inque ſepulchrum ultimam domum inductus, corpus ſuum communem ſubiens ſortem, vermibus devorandum praebet; & ſic homo iterum ad terram, è qua deſumptus fuit. §. VI. redit: & hinc merito exclamare cogimur.

Heu nimium verum eſt: metam properamus ad unam
Omnes; nulla fugae ſemita nota datur.

F I N I S.